

DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER DECIMUS.  
PERUVIA.

C A P . I.

*Generalis Regni Peruviani descriptio, cœli solique qualitates:  
Indigenarum ingenia & mores.*



UPERIORI libro *Popayanam* absolvimus, quæ f. c. 10. nos ad Oceanum Australem & Peruviani Regni limites reduxit; quod deinceps nobis describendum erit; de illo ita in communi Acosta: Peruvia, inquit, nomine nequaquam accipimus amplissimam illam novi orbis partem, quam vulgo Americam appellant, qua & Brasiliæ, & Chiles & Granadæ patentissimæ regiones comprehenduntur, quibus Peruvia nomen neutquam competit; sed illam Australis Americæ partem, quæ ad Austrum vergit, à Quitensi regno pene sub ipso Æquatore constituto, ad Regnum usque Chiles extra Tropicum Capricorni, spatio sexcentarum leucarum in longitudinem, in latitudinem autem ad altissima Andium juga, quinquaginta; præterquam paucis locis & præsertim 30 versus *Chachapoyarum* regiones, ubi paulo latior est. Hæc Novi Orbis pars, quæ vulgo *Peru* dicitur, ob peregrinas & mirabiles cœli qualitates, inter omnes hujus orbis provincias diligentius consideranda: nam primo oram illius maritimam non nisi unus ventus afflat, nec tamen is qui sub torrida *Zona* ut plurimum alibi flare consuevit, sed illi è diametro contrarius, nempe Auster aut Africus. Secundò, quum hic ventus natura sua tempestuosissimus, gravissimus & insalubris alibi judicetur, hīc contra amoenus, salubris & gratissimus accidit, adeo ut huic potissimum debeatur, quod ora maritima possit habitari, quæ per se fervidissima & valetudini hominum noxia erat futura. Tertiò ad oram maris nunquam hic pluit, tonatve, nec grando aut nix unquam decidit. Quartò, exiguo à dicta ora intervallo, non tantum pluit, 40 sed & ningit & horrendum in modum tonat. Quintò, quim duo montium ordines æquali pene ubique intervallo totam *Peruviam* intersecant, ad eandem prorsus Poli altitudinem, unus arboribus in totum vestitus, maxima anni parte pluvias & gravem æstum perpetitur, alter vero pene nudus, potius frigus tolerat & æstatem atque hyemem, pluvias atque serenitatem alternatim experitur. Verum ut hoc commodiū intelligatur, sciendum est, *Peruviam* universam in tres veluti tramites esse divisa, longissimos quidem illos, sed per angustos; Plana nimirum, Montana & Andes: Plana sunt juxta oram Maris Australis sive Pacifici; Montana sunt colles, montes atque valles; Andes denique vasta atque altissima juga. Plana communiter in latitudine decem occupant leucas, alibi plures, nonnusquam & pauciores, montana vi- 50 ginti, Andes totidem: longitudo inter Arctum & Austrum, latitudo inter ortum atque occasum accipitur. Monstri autem simile, in tam exiguo intervallo & quinquaginta ut plurimum leucarum, inque eadem distantia ab Æquatore & polo, tantam diversitatem reperiri, ut hic fere continuo, illic nunquam pluat; tertia vero regione alternatim & pluat & serenet. In Planis nunquam pluit, licet interdum ros quidam cadat (quem barbari *Garnam*, Hispani *Mollinam* vocant) qui nonnunquam in guttulas quasdam resolvitur, verum tam exigua copia, ut neque tectis neque canalibus opus

opus sit; nam ædes hic tantum stœra quadam teguntur, cui paululum terræ superinjicitur. In Andibus fere continuo pluit, licet uno anno magis serenæ quam altero. In montanis autem quæ inter hæc duo extrema veluti media, iisdem pene mensibus pluit, quibus in Hispania, à Septembri nimirum in Aprilem; reliquo tempore sudum est cœlum, quum nimirum sol longius ab ipsorum vertice recedit. Porro tam Andes quam montana hæc sunt editissima juga quæ continenter & pene æquali inter se distantia ad mille leucas ut minimum exporriguntur: In montanis innumerabiles *Vicunnarum* greges vagantur, animalia capris montensisibus velocitate simillima, nec non *Guanati* & *Paci* de quibus mox dicemus. In Andibus vero generantur simii & cercopithei quamplurimi & gratiofissimi, itemque innumerabiles psittaci, crescitque hic preciosissima illa *Coca*. Ubi autem montes se diducunt, quamplurimas aperiunt valles, quæ & opportunissimam & saluberrimam totius Peruviam habitationem subministrant, & tritici Mayziique fertilissima habentur, uti *Xauxa*, *Andaguaila*, *Yucay* & plures: quare etiam superioribus seculis frequentissimæ fuerunt. Atque hæc de cœlo soloque in communi dicta sunt, particularia suis quæque locis prosequemur. Nunc de Indigenis videamus. Qui planiciem olim incolebant, sub dio ut plurimum agebant, aut sub patulis arborum ramis; mares indusis quibusdam utebantur usque ad genua & palliolis supra humeros: fœminæ vero vestibus gossypinis ad pedes demissis: utrique capillos vittis laneis subligabant, aut fascia unius aut variorum colorum, quibus maxime distinguebantur: Montenses 20 vero, qui & viribus corporis & ingenio atque industria cæteros longe superant, ædes incolebant cespite desuper rectas, mares indusis & palliis è lana ovium Peruvianarum amiciebantur, fœminæ tunicis, fasciis quibusdam per totum corpus restrictis & mantello circa collum, acutissimis aciculis aureis aut argenteis, quas sua lingua *Toppo* vocabant, connexo: sunt ut plurimum candidæ & bene moratae: virosque suos in colendis agris aliisque operibus gnaviter adjuvant, maxime delectantur capillis prolixis & nigris: atque ut nigrorem illis concilient, cum summa molestia nec non discriminè, eosdem in ferventem aquam dimitunt (idq: nonnunquam ad horam aut alteram, prout scribit *Yuca Garcillanus*;) in qua coctæ fuerint, variæ herbæ & imprimis *Radix Maguey* sive ut ipsi vocant *Chuchau*. Venando ut plurimum gentes hæc se exercebant, & nonnunquam solemnes instituunt venationes in hunc modum; quatuor aut quinque millia hominum pro frequentia Provinciarum conveniunt, & corona modico inter singulos intervallo facta, quæ interdum duas aut tres leucas ambit, pendentim ad modulos cantionum coëunt, donec manus jungant & brachia connectant, atque ita magnum ferarum numerum indagine cingunt, & quot volunt manent, tantum enim murmur vociferando crient, & feras ita terrent ut manibus se apprehendi aut in retia se concludi patientur.

Antequam hæc gentes sub unius imperium cogerentur, variis diversisque moribus & institutis agebant, sed barbaris atque inhumanis; & pro suo quique libitu varias res superstitione venerabantur; Plantas, animalia, flumina, montes; imprimis autem ferocia animantia; & omne denique quod aut impense diligebant, aut horrebant. Nec tamen deerant, quibus nihil erat præcipua aliqua veneratione. Verum postquam *Incarum* jugum subjerunt, & veluti ad unam Rempublicam sunt revocati; urbanius vivere, civiles mores atque instituta amplecti; & superstitionis illorum cultus, antea vagus, ad certam formam cœpit revocari. Ab eo enim tempore Solem adorarunt, persuasi Creatorem huic sideri inter cætera principem locum assignasse, idque optimè de rebus humanis mereri; & licet Lunam tanquam illius conjugem venerarentur, nullum tamen illi divinum cultum impendebant; uti nec fulmini, fulguriive aut tonitru (quod perperam ab Hispanis scriptoribus traditur.) Narrat autem *Yuca Garcillanus* Peruvianus natione, suos licet solem tantum visibiliter adorarent, tamen nonnullam habuisse cognitionem Veri Dei; quem appellabant *Pacha Camac*, id est, mundi animatorem (à *Pacha* mundus & *Camac* participio vel derivativo verbis vel nominis *Cama*, quod animam denotat vel animare) & tantopere in animo venerabantur, ut ne nomen quidem hoc sine præfatione aut scrupulo usurparent; uti nec nomen *Cupay*, quo malum genium notabant sine abominatione & execratione. Nihilominus unicum tantum templum *Pacha Camac* consecrarunt, in valle

valle de qua postea; Quum Soli infinita pene templa, eaque sumtuosissima passim ædificaverint, sacerdotes, virginesque dedicaverint, & plurima sacrificia impenderint. Docet idem, perperam ab Hispanis plures deos deasque Peruanis attribui; nam licet varias res, in quibus Dæmon apparere aut per quas verba facere consuebat, veluti sacras summa habuerint veneratione, non tamen adorarunt: Error inde natus, quod Peruviani omnes ejusmodi res nominarent *Huaca* vel *Guaca*; nomen autem *Huaca* latissimam apud ipsos habet significationem, etenim quicquid sacrum, quicquid excellens in sua specie, quicquid monstrosum, denique omne quod aut pulchritudine aut deformitate in rerum natura eminet, id omne hoc nomine ab ipsis insignitur: Unde quum & idolum hoc nomine designarent, facile crediderunt Hispani barbaros tot Deos colere, quot *Huacas* nominarent. Eundem errorem notat *Inca* in *Apachecta*; nam quum barbaris solemne esset, quoties onus aliquod grave bajulantes, difficilem aut arduum collem aut montem ascendissent, in ipso vertice onus deponere, & ter, oculis ad cœlum erectis & rursus demissis, dicere *Apachecta*, id est, uti ille interpretatur, *illi qui facit ut levemus*; quasi dicerent, gratias agimus illi, qui nobis vires largitus est ut hoc onus super tam editum locum tolleremus: (familiare enim hisce gentibus uno aut altero verbo, integrum sententiam exprimere.) Hispani qui saepius illud audiverant suspiciati fuerunt, montes & colles à barbatis adorari, ipsisque dici Apachitas: Atque ita ad eundem modum plurima alia numina ob lingua ignorantiam ab Hispanis fuisse attributa, tum his, tum aliis barbaris, perquam verisimile est. Porro credebant barbari hi, aut saltem illorum sapientes, qui dicebantur *Amauta*; hominem constare è corpore & anima, hanc esse incorruptibilem, illud mortale; ideoque vocabant *Allpacamacsa*, id est, terram animatam; & ad differentiam brutorum *Runa*, id est, rationis compotem; quum cætera animantia communi nomine appellarent *Llama*. Credebant quoque aliam vitam superesse post hanc præsentem; itaque hoc Universum in tres dividebant partes; nimirum in cœlum, ipsis *Hanan Pacha*, id est, mundum altum quo boni recipentur ut præmia perciperent; in mundum hunc terrestrem & corruptioni obnoxium, ipsis *Hurin Pacha*, id est, mundum inferiorem: & denique *Vcu Pacha*, id est, infimum vel subterraneum, in quo mali poenas tolerarent; hunc & ad majorem evidentiam vocabant *Cupay pa Huacin*, id est, domicilium Dæmonis. Neque putantur refutasse generalem corporum restorationem, uti plures Hispani authores testantur. Longissime autem absuerunt ab immanibus Mexicanorum moribus ut humanis hostiis numini suo litarent; tantum abest ut humanis carnibus vescerentur. Quæ super sunt de civili ipsorum & politico regimine, & *Incarum* serie, alibi à nobis adjungentur.

## C A P . II .

*Plantæ, fruges, fructusque Peruviae peculiares; præsertim Coca.*

40

**F**RUMENTUM *Peruviae* maxime commune est Mayzium, quod ipsorum lingo vocatur *Zara* vel ut scribit *Inca Garcillanus Cara*: cuius duas habent species, unam cuius far est durius, ipsis *Muruchu*; alteram cuius est mollius & delicatius, ipsis *Capia*; ex utroque autem panes coquebant duorum generum, unum nimirum quod tantum in sacrificiis adhibebant, ipsis *Zancu*; alterum quod in cibis vulgo usurpabant & vocabant *Huminta*. Panem autem communi nomine vocabant *Tanta*: Mayzium autem ebullitum cum aqua *Mute* vel *Mote*, quod calens sorbebant: idem in pollinem redactum & in pastillos coactum atque tostum in quibusdam provinciis dicebant *Arepas*: idem integrum tostum vocabant *Camcha*. Quin & diversis modis usurpabant in potu; nam aut (ad eundem pene modum quo in Europa cerevisia fit) grana trantis per hinc tabant donec pullulare inciperent: tum siccata moliebant & ebulliebant, hanc potus speciem vocabant *Vinnapu* & in quibusdam provinciis *Sora* singulari ineibriandi facultate præditam; ideoque legibus *Yncarum* vetabatur: aut grana masticantes, fermentum quoddam conficiebant (ut scribit *Acosta*) quod deinde cum aqua coquebant; credunt autem Americani præstantissimum fieri à vetulis: aut denique grana prius torrendo, comminuendo & denique coquendo;

quod

quod genus potus maxime commendatur, utpote saluberrimum & utilissimum iis qui calculo aut arenulis vexantur. Potum denique è Mayzio communiter vocant *Azua*, & alibi quoque *Chicha*. Mayzio autem accedunt varia legumina; quædam instar fabarum licet minora quæ ipsi nominant *Purutu*, & adhibent in cibis: quædam minime edulia, rotunda, & variorum colorum, quæ vulgo vocant *Chuy*, & varia addunt agnominata pro colorum diversitate. Multæ hic reperiuntur radices, quæ in provinciis quibus Mayzium deest, illius loco usurpantur: Inter has agmen ducunt *Papa*, quas ad solem siccatas comminuant & appellant *Chunno*, hujus ingens copia, ditissimo commercio subvehitur ad argentifodinas Potosianas. Itemque *Oca*, quæ est radix oblonga & pollicem crassa, quæ & cruda comeditur utpote suavissima, &<sub>10</sub> cocta; & ad solem siccatur, atque tum nominatur *Cavi*. Tertiò *Annus*, forma quidem & mole præcedenti similis, sed sapore multum diverso, amaricat enim, unde non nisi cocta comeditur; ferunt Indi illam inimicam esse potentia generandi. Quas Hispani vocant *Batatas*, eas Peruviani dicunt *Apichu*, habentque quatuor earum species, sed coloribus tantum diversas. Habent & alium fructum subterraneum, quem vocant *Inchic* & Hispani *Mani* (nomine Insularibus usitato,) medulla & sapore similem amygdalis; qui si crudus comedatur offendit cerebrum, tostus autem non modo palato gratus est sed corpori salubris: Ex eodem & oleum exprimitur ad plures infirmitates utile.

*Chami-*  
*co.* A Lusitano qui diu in Peruvia vixerat accepi, hic nasci semen quoddam, (vo-<sub>20</sub> cant *Chamico*,) simile semini ceparum, sed monstrofa facultate; nam si aqua in qua coctum fuerit aut per se aut cum vino hauriatur, altissimum somnum conciliat pene ad horas *xxiv*; & qui hauserit ridens aut plorans, talis perseverat ad longum tempus, ita ut non invitus & tanquam stolidus res suas furto subduci patiatur, atque aliis modis sibi illudi. Idem narrat Linschotamus de Indorum *Datura*.

*Pepini.* Inter fructus plurimum commendantur primò; *Pepini* ut vocantur ab Hispanis, (*Garcilassus* dubitat an ab Indis appellentur *Cacham*) quia (ut scribit *Acosta* & *Garcilassus*) longitudine & rotunditate accedunt ad formam peponum, quum cætera multum differant; neque enim colore sunt viridi, sed fusco aut candido; neque spinoso aut scabro cortice, sed levissimo: Sapore denique plurimum excellunt, sunt; <sub>10</sub> enim ex acri & dulci misto, palatoque gratissimi; pleni succo; facillimeque digeruntur; & in calidis hisce regionibus egregie refrigerant. Deinde Cucurbitæ sive Melones, quæ ipsorum idiomate vocantur *Capallu*, & hic (ut ait *Acosta*) nascuntur monstrofa magnitudine & insigni varietate.

*cap. lxi.* Inter plantas denique *Peruviae* peculiares eminet *Coca* vel *Cuca*, quam pene su-<sub>40</sub> perstitione colunt, tantique faciunt, ut incredibile videatur: Hanc Monardes ita describit: Planta est ulnae magnitudine, foliis myrti paulo majoribus (quæ veluti aliud folium simili forma in meditullio delineatum habent) mollibus & dilutius vi-  
rentibus: fructu racematis cohærente, uti myrti fructus, rubente quando matur-  
scit, ejusdemque magnitudinis, quando vero plenam maturitatem adeptus est ni-  
gricante: tum vero herbæ est messis, quæ collecta in canistris aliisque rebus ad exsic-  
candum reponitur, ut melius conservari & in alias partes transferri queat; nam è  
montibus in alios montes transfertur mercimonii gratia, proque aliis mercibus com-  
mutatur, vestibus, gregibus, sale & aliis rebus, quia illis pro pecunia est. Præterea  
vulgaris illius est usus apud Indos, tum ad eas res quæ ad iter necessariæ sunt, tum  
quæ ad voluptatem in suis ædibus serviunt; hoc modo: conchylia aut ostreorum con-  
chas urunt & calcis modo comminuant, folia deinde *Cocæ* dentibus atterentes  
subinde pulverem illum admiscent & simul quasi fermentant, ut tamen minor sit  
calcis quam foliorum quantitas: ex hac massa trochiscos sive orbiculos conficiunt &  
ficcandos exponunt. His & domi & iter facientes utuntur, eosque ore versant &<sub>50</sub>  
1.4. c. 22. exsugunt, atque famem sitimque sibi levari & vires sustentari asperunt. *Acosta* quoque  
prolixe illius meminit, atque inter alia commeniorat superioribus seculis sub Ingaram  
imperio, haudquam vulgo licuisse, hanc herbam usurpare sine Regis aut ministri-  
rum illius licentia. Hodie autem in sola Potosia tam ingentem hujus herbæ copiam  
ab incolis consumi, ut precium ad quingenta millia ducatorum ascendat; nonaginta  
quippe & nonnunquam centum millia canistrorum inferri, quorum singula in  
Cuscensi

*Cuscensi* quidem oppido duobus aut tribus regalibus, in Potosia vero quinque venant. *Blasius Valera* apud *Inciam Garcilassum*, scribit, Arbusculam esse proceritate & crassitie vitis, parcis ramulis, sed copiosis frondibus, neque inodoris; Addit *Garcilassus*, esse proceritate corporis humani; & instar vitium propagari; folium illius & quoad superficiem & quoad pediculum simile esse Arbuto (*Hispan. Madronno*) sed multo tenerius & delicatius: quod cautè decerpendum sit ne novum germen lædatur, & siccandum modicè ne præ nimia siccitate in pulverem abeat, aut humiditate situm contrahat; decerpi denique ter quaterve quotannis.

Est & altera herba Peruviae familiaris, quam indigenæ vocant *Payco*, cuius folia 10 (inquit *Monardes*) plantaginis foliis forma & colore simillima sunt; resiccata valde cap. 28. tenuia, impense acria, calidaque. Ejus pulverem ex vino sumtum, nephriticum dolorem à flatibus aut frigida causa provenientem, ajunt, tollere: ipsam vero plantam coctam & emplastri modo loco dolenti impositam, eundem præbere effectum; quod verissimum esse experientia docuit.

Reperitur præterea h̄c herba quædam (ut inquit *Augustinus de Carate*) cuius folia conveniunt cum apio, quæ vulneribus licet putridis imposita, eadem statim mundant; integrum vero carnem, si ad illam applicentur, ad ossa usque consumunt; flosculum fert ceruleum.

In *Peruvianis* quoque montibus sponte nascitur fructus, qui Hispanis appellatur cap. 66. 20 *Granadilla*, ob similitudinem quam cum malis Granatensibus habet, nam ejusdem fere est amplitudinis atque coloris, quando maturuit, nisi quod careat coronâ: in eo resiccato, si agitetur, semen intus conclusum edit strepitum, pyri semini simile sed aliquanto majus, tuberculis quibusdam eleganter elaboratum & jucundum aspectu; pulpa illius candida, sed insipida. Planta similis est hederæ, eodem modo repens & scandens quocunque loco ponatur. Elegans fructu suo onusta propter ejus amplitudinem: Florem fert similem albæ rosæ, in cuius foliis aliquæ veluti passionis Christi notæ (inquit *Monardes*) delineatæ conspiciuntur, quas magna diligentia istic pietas existimes; eam ob causam flos est elegantissimus: fructus ipi sunt granatula jam dicta, quæ matura, liquore abundant acidulo, & semine copioso; aperiuntur ut ova, & liquor cum magna voluptate absorbetur ab Hispanis juxta atque barbaris: nec etiam si multos sorbeas, ullam ventriculi gravedinem, sed potius alvum laxatam senties. Herba rara est quæ duntaxat uno loco invenitur. Fructus temperatus est & aliquantum humidus. *Petrus de Cieça* tamen scribit, hanc in valle *Lile*, in qua oppidum *Cali* situm est, abunde crescere: Innotuit jam Europæ, ubi Flos passionis vulgo audit.

E *Peruvia* quoque primum accepimus plantam extremæ magnitudinis, ubique jam notissimam, quam vocant *Florem Solis*, *Dodonæus* describit sub nomine *Chrysanthemi Peruviani*: *Monardes* vocat *Herbam Solis*: *Franc. Ximenez* scribit, à *Peruvianis* vocari *Chimalacatl*.

Ex eadem primum ad nos venit semen herbæ, quam communiter vocant, *Nasturtium Peruvianum*, de qua *Monardes* loquitur sub nomine *Floris Sanguinei*: Planta, inquit, duos circiter palmos assurgit, ramis rectis, quos ambiant rotunda & tenuia folia, valde virentia: flores in summis ramis nascuntur aureo admodum colore fulgentes: quinque foliis constantes, in quorum singulis sanguinea & maxime rutilans macula est impressa, oblongo cucullo extremos flores occupante & longè prominente. *Franciscus autem Ximenez*: Nascitur (inquit) hodie magna copia in hortis Mexicanorum, herba quam vocant *Nasturtium Peruvianum*, cuius floribus barbari mirabiliter delectantur, vocantque hanc plantam *Pelon mexix quiltil* & *Pelon Chille*; folia illius sunt quasi rotunda, tenuia, cum quibusdam angulis, pendula è pediculo, qui non nascitur directe è medio foliorum, sed è latere circumferentia veluti ex obliquo, suntque superiore parte viridia, inferiore pallida; caulem habet teretem, tenerum, volubilem, qui vicina complectitur: Flores sunt colore flavo subrubente, instar aquilegiæ florum compositi, desinunt enim in canniculum recurvum qui se sensim dilatans in septem folia emergit, quorum duo cætera superant magnitudine, sequentia duo sunt minora reliquis tribus,

quatuor autem ista signata sunt lineis quibusdam rossis, quæ valde similes sunt vulneribus Domini nostri crucifixi prout pinguntur, reliqua tria quæ media sunt inter jam dicta, tres habent notas similes capitellis clavorum. Planta est calida & sicca pene in quarto gradu, & tam similis nostro nasturtio sapore & facultatibus ut vix ulla differentia percipiatur: itaque licet forma differant, non incommodè tamen ad unum genus possunt referri, & hæc ad eadem omnia quæ illa adhiberi; viret floraretque omnibus anni mensibus, nisi quod interdum à frigore aduratur. Utuntur floribus in lactuciniis, accidunt enim ciborum appetitum & conducunt ventriculo refrigerato aut ob flatuum copiam debili: folia contusa & applicata medentur tussi; cum alumine convoluta mitigant dolores dentium: flores & folia simul macerata & 10 & per sublimatorium cum granis aliquot aluminis destillata, singulare est lavatorium adversus plagas oris & reliquorum membrorum; licet nonnihil caleat, sanat tamen tumores è calore natos, resolvendo crassiores humores, quum frigida medicamenta non prosunt; curat vulnera inflammata: denique hos flores, uti & nasturtii nostratis usurpant contra dolores è causa frigida.

I. 2. c. 29. Nascitur ibidem herba (inquit *Garcilassus*) admirabilis efficaciam in affectibus oculorum; vocant *Mateclu*; crescit in rivulis, unum tantum habet caulem & unicum folium rotundum: instar herbæ quam in Hispania vocant *Oreia de abad*, (id est, *Cymbalaria*) hæc masticata, & succo infuso oculis, sub nocte, atque adeo folio ipso masticato superligato, mirabiliter aufert scotomata & sanat quosvis affectus oculorum. Idque se expertum testatur.

Habuit & Peruvia *Tabacum*, quod ut scribit *Garcilassus*, vocabant *Sayri*; & crebro in medicina usurpabant, pulverem naribus indentes, ut exonerarent cerebrum à noxiis humoribus.

c. LXXIV. Plures aliæ herbæ designantur à Monarde, quas è Peruvia acceperat; quas hic brevitatis causa præterimus: Unam non possumus, de qua mirabile aliquid observat. Anno (inquit) 1515 LXII Comite de Nieva in Peruvia commorante, in ejus familia mulier quædam illi inserviens maritum habuit gravi morbo decumbentem; cuius causâ quum ipsam admodum tristem Indus quidam primarius conspiceret, interrogavit an scire cuperet, utrum ex eo morbo peritus esset, an superstes futurus maritus, herbæ ramum se illi missurum, quem in sinistra mariti manu positurus esset, eamque deinde diutius comprimeret: nam si superstes futurus esset, quandiu eam herbam manu teneret, alacrem & latum; si moritus, moestum & anxiū fore. Missum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimereque jubet: sed illico tanta moestitia & anxietas ipsum oppressit, ut illa, metuens ne subito extingueretur, ramum è manu tolleret & abjiceret: is deinde post paucos dies extinctus est. Cupienti mihi an ista vera essent perscrutari, nobilis quidam, qui multis annis in Peruvia vixerat, certum esse affirmabat, & usitatum apud Indos in ægritudinibus id facere: quod sane magnam admirationem mihi attulit.

## C A P . III.

*De Arboribus fructiferis, & præsertim Cachoz & Molle.*

*Ynca 1.8.  
c. 11.  
Palta.*

*Rucma.*

**P**LURÆS arbores reliquis quoque partibus Americæ familiares hic nascuntur, quas tantum obiter hic commemorabimus. *Guayava* quas alibi descripsimus hic appellantur *Savintu*: *Guava* autem *Pacay*. Fructus, quos Hispani, ob similitudinem coloris & formæ, vocant *pyra*, ab indigenis vocantur *Palta*, à provinciæ nomine ubi copiosè nascuntur: excedunt ter quaterve mole pyra Europæa, corticem habent tenerum & levem, medullamque quæ digitæ transversi crassitie ambit ossiculum ejusdem formæ cum fructu, quod an utile sit nec ne non constat, caro autem sive medulla jam dicta optimi est saporis, salubrisque ita ut etiam ægris præbeatur cum Saccharo. Reperitur hic & alijs fructus, quem barbari vocant *Rucma* & Hispani *Lucma*, sapore magis dulci quam acri aut amaro; nec insalubris, licet grossior cibus æstimetur: Forma & mole accedit ad aurantia mala communia; intra medullam continet ossiculum (vel ut alii duo) valde simile castaneæ, tam colore corticis, quam albedine ipsius nuclei; qui amarus est & cibo inidoneus.

Maguey

Maguey Mexicanorum , hic vocant Chuchau.

Reperitur hic & species cerasorum , barbari vocant *Vssun* , colore rubro ; sapore autem dulci : quæ comesta hodie , crastino faciunt excernere urinam veluti sanguine tinctam . In vastis illis montibus , quos Hispani vocant *Andes* , & *Garcilassus Antis* , plures crescunt plantæ quæ optimos fructus ferunt : inter quas celebrantur *Platanus* ut appellatur ab Hispanis , ob causas incertas , nam nihil commune habet cum Platanus Europæorum : sed potius similis est palmæ tam forma , quam magnitudine foliorum , quæ tam grandia habet ut totum hominem à capite ad talos cooperiat . Est autem planta (ut scribit *Acosta*) quæ surculum facit intra solum , è quo plures 1.4.c.21. erumpunt stolones singulares , qui in molem excrescent arboream , eduntque 10 folia jam dicta , lète virentia & levia : è quibus enascitur racemos , qui constat interdum pluribus interdum paucioribus fructibus , (numerati interdum trecenti) palnum plus minusve longis & duos digitos aut circiter crassis : Demitur facilime cortex , superatque medulla tenera , edulis , salubris , & boni nutrimenti . Solent hunc fructum viridem decerpere & in vasis quibusdam sub foliis certis maturare ; sed ad arborem maturus factus , magis gustosus est & odoratus . Dant fructus omnibus anni mensibus , nam è surculo surgunt continuo novi stolones , iis qui jam fructum dederunt succedentes (qui statim amputantur , siquidem nonnisi semel fructum ferunt singuli:) requirunt solum humidum & cœlum fervens . Reperitur hæc planta 20 magna copia in India vera atque Africa ubi varia obtinet nomina , de quibus videndus 1.2.c.10. Garzias ab Horto : & passim in calidioribus Americæ regionibus : qui plura desiderat , aeat Oviedum . Iconem fructus dabimus in Brasiliæ descriptione , ubi Paco- 1.8.c.11. vere vel Bacova appellant .

Platano accedit fructus , quem Hispani , ut scribit *Garcilassus* , vocant *Maniar blanco* (pulmenti genus est ipsis usitatum) quia divisus non male refert duo cochlearia eo pulmendo repleta , tam colore , quam sapore : medullâ continentur aliquot nuclei nigri instar amygdalarum , qui non sunt edules : magnitudine & forma non abludit à minore melone : sed corticem habet duriorem instar cucurbitæ lagenariæ siccæ : medulla illius est candida ; dulcis & nonnihil acida , palato gravisima .

In *Peruvia* quoque duntaxat reperitur arbor *Cachos* ; quam Monardes ita de- cap. xxx. scribit : Missum præterea semen plantæ *Cachos* appellatae , quam nasci ferunt arbusti modo , insigni viriditate præditam , folio rotundo & tenui : fructum ferre malo insano similem , altera parte sessilem , altera turbinatum , cinerei coloris , grati saporis & acrimonie expertis , valde minutum semen continentem . Magnæ est apud incolas aestimationis , ob insignes illius facultates : Nam urinam ciet , arenulas & calculum pellit è renibus : quodque præstantius est , illius usu calculum in vesica ferunt comminui , si mollis adhuc sit , ullaque medicamentis comminui queat : ejusque rei tam multa proferunt exempla , ut admirationem mihi pariat : nam mea est hæc 40 opinio , vesicæ calculum expelli non posse , solamque exemptionem illius esse remedium ; nullum autem remedium tam efficax reperiri , quod eum confringere valeat ; ajunt tamen illius semen tritum & ex aqua aliqua ad eam rem idonea sumtum , calculum in lutum dissolvere , quod excretum denuo concrescat , & in lapidea durtiem convertatur . Adolescentem vidi , cui hoc obtigisse scio . Is quem vesicæ calculo torqueretur , idque à lithotomis , qui calculum deprehenderant intellectissimè , & ex symptomatis quæ patiebatur agnoscerem ; hominem veris initio ad fontem , qui à *Petra* nomen habet ablegavi : ubi quum duos menses hæsisset , à calculo liberatus rediit , & omne lutum , quod paulatim ejecerat , denuo in lapidea fragmenta concretum in charta secum retulit .

50 Præstantissima denique & *Peruvia* maxime peculiaris arbor est *Molle* sive *Mulli* Molle : ut scribit *Garcilassus* ; eam à pluribus descriptam invenimus , diligentissimè autem à *Francisco Ximenes* . Arbor , inquit , est grandis , pulchra & ramosa , rami illius sunt coloris viridis vergentis ad purpureum ; folia oleæ frondibus similia , sed angustiora & teneriora , serrataque , ad utrumque ramū latus veluti per ordinem disposita : flores eleganter candidi & racematim penduli , qui quantocius convertuntur in fructus similes oxyacanthæ acinis , sed paulo majores & ubi maturuerint

clare rubentes, caro illorum dulcis cum certa acrimonia, nucleus admodum durus & osseus. Folia & fructus redolent lentiscum & illius gummi, obtinentque saporem qui ad fœniculum accedit: quare forte nonnullis lentisci species videbitur, sed est arbor sui generis: frondes & fructus omnibus anni mensibus durant, sibi invicem succedentes. Silvestris est arbor licet jam dudum à non paucis in hortis colatur; facilime enim propagatur sive è semine sive è stolonibus, & in quoque solo. Exsudat certam lachrymam, quæ non minus quam truncus & folia lentiscum olet: Saporis acris & suavis cum quadam amaritudine & astringendi facultate: calida est & sicca pene in tertio gradu: nucleus corroborat cerebrum & ventriculum, astringit alvum; & ut quidam volunt usum præstat Terebinthinæ; & fructus si neceſſe sit <sup>10</sup> cardamomi: promovet urinam, discutit flatus, siccat humores superfluos. Folia mastigata corroborant gingivas & dentes; Sanant vulnera; idem & possunt fructus. Hæc ille. Meminit & Petrus de Cieça: Toto, inquit, hoc tractu conspicuntur magnæ quædam & etiam parvæ arbores, quas incolæ appellant Molles: folia habent minuta, odore fœniculi, cortice adeo commendato, ut ejus decocto crurum dolores & inflationes summa cum utilitate foveantur; ex ramulis fiunt dentiscalpia utilissima. Ex hujus fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modo, fit aut vinum sive potio admodum bona, aut acetum, aut mel: tantoque in pretio apud Indos sunt hæc arbores, ut quibusdam locis eas suis idolis consecratis habeant. Addunt nonnulli (inquit Clusius) ejus arboris foliorum decoctum doloribus ex frigida causa <sup>20</sup> ortis auxilio esse: illius vero gummi, quod mannae modo candidum est, lacte dissolutum, caliginem oculorum abstergere. Natæ ejusmodi arbores è semine in Hispania, atque adeo Belgio; ramuli cum fructu iconem dedit nobis Cl. V. Car. Clusius, quam hic apponimus.



cap. 41.

*Audiamus & Garcilassum:* Arbor nulli sponte nascitur in campis, dat fructus in racemis longis & angustis, qui sunt granula quædam rotunda; forma coryandri; folia sunt minuta & semper viridia: granum maturum habet in superficie pa- <sup>30</sup> rum admodum carnis suavis & palato grata, reliquum egregie amaricat. Conſciunt ex eo potum, confricando blande inter manus in aqua calida, donec dulcor omnis defricetur; cavendum enim ab amaro, quod potum corruptit. Percolant hanc aquam, servantque dies tres quatuorve donec subſideat, potus est limpidus, gratissimus, atque adeo salubris, præſertim illis qui affectibus renum <sup>40</sup> aut vesicæ laborant; maxime si Mayzii potus admisceatur. Aqua eadem cocta convertitur in optimum mel; & ſoli exposita, additis nescio quibus rebus, in præſtans acetum. Decoctum foliorum valde utile est ad crura & alia membra abluenda quæ scabie laborant; & ad vulnera inveterata sananda.

*Præterea;* Arboris fructum (inquit Monardes) ex Peruvia accipiebam ab in- <sup>50</sup> colis Leucoma nuncupatum, similem nostræ castaneæ forma & magnitudine,

tum etiam ſeſſili illa & albicante parte, quam castanea obtinet: nucleum continere videbatur, ſed quia binos duntaxat accipiebam, confringere nolui, quandoquidem alterum ſerebam, qui non prodiit, alterum in aliud ſationis tempus ſervem. Arbor in qua provenit, vastæ magnitudinis, materiaque robusta & firma eſſe dicitur: folia arbuti

arbuti obtinere , fructum autem edulem gratique saporis & temperatum ; atque propter adstrictionem , alvi profluvia sistere .

Plures hic nascuntur arbores quantivis pretii , sed certis provinciis peculiares , de quibus à nobis dicetur , quum ad illas pervenerimus .

## C A P . IV .

*Animalia quadam Peruviae peculiaria .*

**A** NIMALIA Domestica (inquit *Garcilassus*) Peruvianorum , sunt duorum generum , majora & minora ; quæ communi nomine ipsi vocant *Llama* , id est , pécudes ; uti pastores *Llama michec* : majus pecus vocant *Huanacu-llama* , ob similitudinem cum animali sylvestri quod *Huanacu* appellatur , à quo solo colore differt ; domesticum enim pecus variis coloribus reperitur uti & equi , sylvestre tantum uno instar castaneæ . Majus pecus summam similitudinem habet cum *Camelo* , nisi quod gibbo careat , neque tanta sit mole . Minus pecus vocant *Paco-llama* , quod oneribus ferendis impar , solum propter carnes alitur , & lanam quæ optima & longissima . Sed *Acostam* audiamus .

Peruvia , inquit , nihil habet præstantius aut utilius , quam pecus , quod nostri quidem oves Peruvianas , ipsi vero sua lingua *Llama* appellant ; nam & plurimum emolumenti adfert & vilissimo alitur . Hoc pecus ipsis lanam ad vestimenta , haud secus quam nobis oves , subministrat : iisdemque prout jumentis ad onera quæque bajulanda utuntur : nec soleis ferreis munire , nec freno regere aut avena alere necesse est , gratis domino suo servit , herbis campestribus & passim obviis contentum . Sunt autem duæ hujus animantis species ; una quæ lanigera est , & *Paco* ab indigenis dicitur : altera quæ levibus tantum villis testa & pene nuda , ideoque ferendis oneribus aptior , quæ *Guanaco* appellatur . Ovibus paulo maiores sunt , minores tamen juvencis , collo oblongo instar Camelorum , altis cruribus & corpore bene compacto ; varii coloris ; quædam enim sunt candidæ , quædam nigrae , quædam fuscæ , quædam denique versicolores , quæ *Moromori* appellantur . Caro illarum bona est licet spissior , agnorum autem longe optima & delicatissima : rarissime autem mantantur , quia longe majorem usum bajulando præbent , & lana ipsorum lanificio serviat ; Hanc barbari purgare , in fila ducere & ex iis pannos texere consueverunt ; lana autem duplicitis est generis ; una rudior & vilior quam vocabunt *Havascam* , altera tenuior & absolutior quam vocant *Cumbi* (*Garcilass. Comps.*) ex hac posteriori , varia aulea & peristromata elegantissimo texunt opere , quæ in longum tempus durant , & splendore certant cum serico ; & quod mirum in barbaris , telas suas ita concinnant ut ab utraque parte elegantia pene par , nec tela nec subtegmen usquam , appareat . Antiqui Peruviae Monarchæ , complures operas Cumbo texendo alebant , quorum præcipui artifices degabant *Capachicæ* ad oram lacus *Titicace* . Lanas autem hasce tingebant variis herbarum succis , prout operum ratio exigebat . Cæterum plerique barbari Peruviae hanc textoriam percallent , atque in tuguriis suis habent instrumenta ad hanc artem comparata ; & ex hisce ovibus pleraque ad vitam humanam necessaria sibi sufficiunt . Longe autem maximus horum animalium usus in oneribus ferendis ; horum enim nonnunquam trecenta , interdum & mille gregatim , varias merces , vini utres , *Coccam* , *Mayzium* , *Chunno* , argentum vivum , ad Potosianas aliasque fodinas & oppida subvectant , inque eundem modum argentum à *Potosia* nunc *Aricam* *LXX* leucarum itinere deportant , uti ante hac *Arequipam* leuc. cl . Sæpe autem (inquit) miratus sum , horum animalium greges , interdum mille , nonnunquam duobus , & non raro tribus millibus laminarum argenti , quæ trecenta millia ducatorum valerent , nonustos , paucis tantum barbaris qui viam demonstrant & onera imponunt atque deponunt , & vix uno aut altero Hispano comitatos , sub dio pernoctare & incustoditos atque indefensos cum tanto thesauro iter facere , idque tam tutò ut vix unquam vel una lamina desideretur , ea est viarum in Peruvia securitas . Onus illorum singulorum sunt centum & nonnunquam centum quinquaginta libræ , quæ ob itineris longitudinem tres aut ad summum quatuor leucas quotidie portant : ductores autem suas stationes norunt , ubi & pabulum pecori & aqua abundat ; hîc tentoria sua figunt

& onera deponunt. Quum vero unius tantum diei iter faciendum vel ducentarum librarum onus ferre, vel octo aut decem leucas promovere possunt. Hæc animantia cœlo gaudent magis algido quam ferventi, ideoque in montanis in immensum propagantur, in planis præ nimio æstu deficiunt, calvum pecus (sive *Guanaci*) vernili & blando est intuitu, sæpe inter gradiendum se sistit & longo tempore prætergradientes sine ulla timoris aut voluptatis significatione erecto collo tam attente intuetur, ut risum tenere per difficile sit: nonnunquam tamen tam subito terrentur, ut cum onere suo ad præcipitia montium summa velocitate se subducant, ita ut scloperti iectu occidere necesse sit ne onus pereat. Paci quoque interdum ita efferantur, vel laboris intolerantia defatigantur ut cum onere humi 10 procumbant, neque minis neque verberibus adigi possunt ut resurgent; unde in Peruvia proverbio usitatur de hominibus propositi nimis tenacibus aut præter rationem atque modum obstinatis, *Impacatos* esse: huic malo nullum præsentius remedium, quam ut ductor una subsistat & juxta animal considat, blanditiisque tantisper permoveat donec sponte resurgat. Scabies quædam hæc animalia infestat (& potissimum infestare cœpisse scribit *Garcilassus*, cum *Vasius Nonnius Vela* pro Rege huic Regno præcesset) quam barbari vocant *Carachen* quæ non modo illi quod cepit, lethalis est, sed & contagio serpit in gregem, unde pene unicum remedium est scabiosum pecus statim sub terram defodere. (*Garcilassus* 20 tamen scribit varia remedia tentata, tandem potentissimum fuisse deprehensum adipe suilla tepida partes affectas inungere.) pretium uniuscuiusque animalis pro Provinciarum diversitate diversum est; sed barbarus qui bina ternave possidet satis locuples existimatur. Scribit adhæc *Garcilassus*, *Peruanos* ante Hispanorum adventum non habuisse rationem lactis horum pecorum, quod sane dant perparce neque ultra quam fœtibus lactandis sufficiat, neque consuevit caseos ex illorum lacte premere: lac autem ipsorum idiomate dici *Numnu*, quod & verbi formam induat & significet lactare.

Præter hoc domesticum & familiare pecus, silvestria aliquot animalia nutrit Peruvia quæ in aliis novi orbis partibus haud facile videre est, præterquam in Chile huic contermina. Eorum aliqua dicuntur *Guanaco* sive *Huanacu*, à quorum similitudine domesticas pecudes dictas supra retulimus; cujus carnes bonæ sunt ut ait *Garcilassus*, licet non tantum quantum domesticæ *Huanacu Ilame*: mares in summis collibus veluti excubias agunt, tantisper dum foemellæ in vallibus pascuntur, & quum homines è longinquo advertunt, hinnitum edunt pene ad equorum modum ut foemellas moneant; qui si proprius accedant foemellas fugiendo ante se agunt: lana horum animalium curta est & asperior, nihilo tamen secius in lanificio à barbaris usurpatum; decipulis & laqueis solent capi. Alia dicuntur *Vicunna*, capreis haud admodum dissimilia, nisi quod cornubus careant & majora sint, colore leonino vel magis rutilo; degunt in altissimis montibus & saltibus, amantque regiones frigidiores, potissimum autem solitudines quas Peruviani vocant com- 40 muni nomine *Punas*, neque nivibus aut gelu offenduntur sed potius recreantur: incedunt gregatim, curruntque velocissime, atque ad hominum aut aliarum ferarum conspectum, ea est animalis timiditas, statim in avia atque abdita se se pripiunt. Olim maxima horum animalium hîc erat frequentia, nunc ob promiscuam venandi licentiam rariora sunt. Lanam gestant tenuissimam & serici vel potius *Castoris* pilorum æmulam, quam merito magni faciunt Indigenæ, nam præter alias dotes, etiam æstui resistere & refrigerare, creditur; unde pileis imprimis adhibetur.

His proximè accedunt *Tarugæ* sive *Tarucae*, vicunnis majores & velociores, colore magis ambusto, auribus pendulis & levibus, quæ raro gregatim, plerumque singulæ inter præruptas petras vagantur. *Garcilassus* dicit cervorum speciem esse, sed minorem Europæis. Innumeri hîc fuerunt tempore *Incarum*, ita ut ipsa municipia ingredierentur; nec defuerunt hinnuli & damæ.

Ex omnibus hisce animalibus lapides eximunt quos *Bazaar* vulgo vocant, ex Pacis quidem & Guanacis minores & nigriores nec tam probati in medicina usus; & vicunnis autem paulo majores & meliores, fuscos aut subcinericeos, aut denique croceos:

troceos: E Tarugis denique omium optimos & maximos coloris subfuscī & tunicis crassioribus.

Reperiuntur præterea hīc vulpes sed multo minores Hispanicis, vocant *Atoc*: & animalculā quæ Indi vocant *Anas*, Hispani *Zorrinas*, quæ tam graviter olen, ut quum noctu pagos aut municipia ingrediuntur, fœtor intra ædes licet occlusis fenestrī sentiatur; atque adeo à centum & pluribus passibus offendat, neque ferri possit: commodum autem accidit quod rariores sint hæ bestiolæ, nam si plures essent, integram provinciam veluti intoxicare possent.

Nec desunt cuniculi tam domestici quam campestres, vocant *Coy*, qui colore & sapore inter se differunt, & nonnihil diversi sunt ab Europæis. Habent & aliam speciem cuniculorum, quam vocant *Vizcacha*, cauda oblonga instar felis, generantur in solitudinibus nivalibus. Sub imperio *Incarum* atque adeo postea, villosum ilorum ducebant in fila, quibus pannos nobiles intertexebant elegantiae gratia, sunt enim colore pardo diluto vel cinereo, blandique & tenues.

## C A P . V .

*Alia animalia que cum aliis regionibus communia habent,  
serpentes, aves.*

20

**R**E PERIUNTUR in Peruvia leones licet pauci, neque tam feroce quam sunt Africani, vocabant sua lingua *Puma*. Item ursi, ipsis *Neumari*. Tigres quoque, sed in solis Andibus: in quibus & majores angues generantur, quos appellant *Amaru*, viginti quinque atque adeo triginta pedes longi, & crassi instar poplitis humani: itemque minores, ipsis *Machachuay*; viperæ venenosæ, aliaque noxia animantia; quibus reliqua Peruvia caret. In iisdem Andibus reperiuntur animalia instar vaccarum, mole juvencarum, sine cornibus; quorum tergora crassissima & validissima sunt. Præterea apri ex parte similes porcis domesticis, & denique innumerabiles simii & cercopitheci.

30 Veris canibus caruerunt Peruviani, habebant tamen animalcula, minutioribus canibus non absimilia, quæ vocabant *Alco*, & supra modum diligebant.

Peruviani paucas habuerunt aves domesticas & familiares, præter anatum quendam speciem, ipsis *Nunnuma*, paulo majorem nostratibus, neque tamen ea mole, qua sunt anseres. Inter sylvestres commemorant Aquilas, licet minores Hispanicis: falcones variorum generum, ipsis *Huaman*; inter quos celebrant minores, ipsis *Neblies*, colore pene nigro. Inter rapaces aves merito censeri potest *Cuntur*, Hispanis *Condor*, vasta mole, ita ut visæ fuerint, quæ expansis alis quindecim aut sedecim pedes occuparent; carent aduncis unguibus, pedibus similes gallinæ: rostrum tamen habent ita validum ut eo vaccinum tergus perforent; nam duæ illarum vaccam occidere 40 valent & comedere, neque ab hominibus abstinent: plumas habent albas, nigrasque mixtas: & cristam parilem instar novaculæ & non ferratam instar gallinacei: pauciores sunt, nam si earum copia hic reperiretur, pecus plane destruerent, adeo carnivoreæ deprehenduntur: & ut scribit *Acosta*, non modo ovem dilaniant, sed & juvencam.

De minimis illis aviculis alibi diximus, itaque hic tantum addo, à Peruvianis appellari *Quenti*, ab Hispanis *Tomineios*.

Genus corvorum opinatur *Acosta*, aves quas Peruviani vocant *Sayuntu* & Hispani 1.4.c.37. *Gallinaza*, nam licet minime rapaces sint, tamen cadaveribus vicitant, suntque adeo carnivoreæ & gulosæ, atque interdum tantopere se ingurgitant, ut licet velocissimæ per se sint, se à terra levare non possint; verum si se ab hominibus urgeri sentiant, tanta facilitate regurgitant quod ipsas onerat, quam devorarunt: caro ipsarum inutilis; id tamen commodi præstant, quod immundicias viarum tollunt.

In fluviis quoque & paludibus reperitur hic infinita copia avium, puta *Ardeæ*, *anates*, *phoyces*, & quas Hispani vocant *Flamencos*, & aliæ quamplurimæ; inter quas celebrantur quædam majores ciconeis, quæ piscibus vicitant, plumis candissimis sine ulla mixtura, erubibus altis; binæ utplurimum incedunt; rariores

sunt. Perdices, quas hic vocant Yutu, à sono quem edunt, duorum sunt generum, aliæ majores quæ mole accedunt ad gallinas, & tantum in solitudinibus reperiuntur: aliæ minores quam Hispanienses, sed carne longe optima; utræque sunt colore parvo, rostris & pedibus albis. Palumbes Europæis forma & plumis non dissimiles, ipsis Vrpi. Turtures item, ipsis Cocohuay, itidem à cantu. Aviculæ quas ipsi appellant Pariapichiu, Hispani Gorrones ob similitudinem quoad molem & colorem, licet in eo differant quod hæ optimè cantent. Itidem aviculæ plumis rubicundis, quas Hispani ob similitudinem nominant Luscinias, quanquam cantus harum adeo sit ingratus ut mali augurii olim duxerint barbari. Necnon quibus plumæ sunt nigræ & flavæ, quas barbari à cantu appellant Chayna, Hispani à similitudine Sirgueros, id 10 est, aurivites.

Plurimæ hic reperiuntur apes silvestres, quæ mellificant in concavitatibus petrarum & scrobibus juxta radices arborum: In frigidioribus provinciis parum melis condunt, & fere amarum, ceramque nigram atque inutilem: in temperatis autem ob herbarum optimarum copiam, longe optimum, candidum & limpidum, quod maximiab ipsis fit.

Porro in eodem regno (inquit Monardes) reperiuntur quædam insecta, quas appellant araneas, eo quod ubicunque fuerint, sua retia texant aranearum Hispanicarum modo, magna sunt ea insecta, malum aureum amplitudine æquantia, adeo virulenta ut eorum ictus jugulent, nisi efficaci remedio succurratur: nam si diutius 20 differatur & subeat virus ad cor, præsens mors consequitur nec ulla prosunt remedia: miram autem utilitatem experti sunt in ficu, si icti statim ad illam confugiant & lac ex foliis ficus manans bis aut ter in vulnus instillent: nam venenum ex ictu in vulnera relictum omnino extinguitur, tollunturque dolores & symptomata succedita, solo vulnere relicto; quod quum sit exiguum facile curatur: diu tamen apertum conservare solent: Atque ut præsens semper adesset hoc remedium, voluit Deus ut ficus nunquam istic folia deponerent sed perpetuò virerent.

Licet multos amnes habeat Peruvia, etiamque de maximorum fluminum exordiis glorietur, tamen paucissimi nutriuntur in iis pisces, & fere unius generis (ut 1.8. c. 22. scribit Garcilassus) fine squamis, capite oblongo & plano instar bufonis, rictu valde 30 ampio: optimi nutrimenti & grati saporis; Indigenæ vocant Challua communis nomine quod omnibus piscibus tribuunt. Reliqua hujus generis suis locis explicabimus, nunc ad singulas partes Regni Peruvianæ nos accingemus.

## QUITO.

### CAP. VI.

Peruvia diviso in provincias principales: Quitensis provinciae limites, cœli soleque qualitates.

40

**P**Eruvia quaqua pater, regitur ab uno Pro-Rege; à quo & Chilenses provinciæ versus Austrum sitæ, & Insulæ, ut vocant Salomonis versus occidentem; provincia denique de la Plata ad orientem suos accipiunt præfectos. Dividitur ab Hispanis, secundum trium Conventuum Juridicorum limites, in tres partes; quarum prima Quito, altera los Reyes sive Lima; tertia denique los Charcus & non raro la Plata à sua Metropoli appellatur.

Conventus Juridicus Quitensis complectitur sub se, Popayanam, Quitu propriæ dictam, los Quixos, Canelam, Iuan de Salinas, Pacomoros, Tqualsongo, pluresque particulares provincias: de Popayana jam supra egimus, de cæteris suo ordine dicemus. 50

Provincia quæ propriæ Quito appellatur, sumit initium ab ipso pene æquatore; patetque ab eodem versus Austrum secundum Herreram leucas octuaginta, vel secundum Petrum de Cieça tantum septuaginta: in latitudinem viginti quinque aut triginta. Conventus autem Juridici limites, secus oram quidem maris Australis, producuntur in longitudinem, ab arcto ad Austrum, à punta de Manglares ad promontorium del Aguja citra Æquatorem versus Austrum: in mediterraneis autem à Cardu-

*Carusama* ad fines Conventus Juridici Limensis; in latitudinem autem à mari Australi ad provincias quæ Andibus coëcentur; quæ quidem maxima est, inter *Baezam* provinciæ de los *Quixos* oppidum ad orientem, & *Portum Veterem*, sive la *Montanna* ad mare Meridionale.

Temperies hujus provinciæ magis frigida est quam calida: ita ut hyeme interdum foco hic opus esse ferant; cœlum sudum atque serenum, raro nubilum, nisi quum pluit aut pluviam minatur. Hyems hic ab Octobri durat in Martium, quibus mensibus intermediis plurimum hic pluit, sed nunquam ningit, præterquam in montanis quæ vulgo *Andes* & *Cordilleram* appellant Hispani. Denique saluberrima est 10 regio, ita ut indigenæ & incolæ longæviores sint quam in Hispania. Anno quinquagésimo octavo supra millesimum quingentesimum, variolorum morbus, omnes pene Americæ provincias pervagatus hic quoque multos mortales destruxit: alioquin maxime familiares morbi & maxime lethales tam barbaris quam Hispanis sunt catharri, qui ineunte & exeunte æstate homines opprimunt: communissimus autem est morbus, lues venerea, quam Hispani ex barbararum foeminarum consuetudine sibi acquirunt; nam foeminae omnes, etiam virgines huic morbo ita obnoxiae sunt, ut illum à parentibus trahere vix sit dubitandum: potentissimum autem remedium est in *Zarzaparilla* & ligno *Guayacano*: plura alia inventa postquam hoc malum pene omnem orbem contagio pervasit. Fert hæc Provincia multas virulentas herbas, 20 quibus indigenæ leves interdum ob causas alii alios enecant. E *S. Barbaræ* aurifero fluvio; multa auri ramenta jam olim collecta, nunc vero pauciora, postquam editio regio sanctum fuit barbaros ad hunc laborem nequaquam cogere. Quamplurimis hujus provinciæ regionibus, ubi uliginosius est solum, multum nitri eruitur, è quo optimum hic conficiunt pulverem tormentarium.

In calidioribus regionibus hujus præfecturæ, provenit quidam fructus, quem vocant *Guabam*, binos palmos longus, cinereo cortice, pulpa candida & durissimis quibusdam nucleis permista, suavis & refrigerans: nec non *Guayabi* arbores, quæ fructus ferunt instar pomorum, plenos albis atque rubentibus granis, salubres & non ingratia saporis: Denique *Platani*: fructus itidem Europæi, mala persica, au- 30 rantia, granatensia, cidonia, aliisque perplures, maxima fœcunditate hic quidem maturescunt verùm putrescant quantocius. Vites quoque variis locis nascuntur: benignissime autem tolerat triticum, hordeum, Mayzium, sataque reddit insigni fœcunditate: Denique & olera, omnisque generis herbas ex Hispania huc tradu-etas, haud secus alit, quam suas.

Armentorum, jumentorum & pecudum ingens hic est copia & insignis fœcundi-  
tas; Ovium Peruvianarum haud magnus numerus, quippe quæ sub oneribus domino-  
rum inclemens deficiunt. Omnimodarum volucrum hic abundè est: piscium vero  
amnicorum perparum, quibus marinos sed muria conditos vicinum surrogat mare.

Indigenæ magis se junctim quam vicatim degunt, nec facile patrios penates aut 40 nativum mutant solum, nisi forte interdum herorum saevitia coacti; decora sunt sta-  
tura & singulari industria, ut quamcunque artem haud difficulter addiscant; corpore  
robusto & bene sano: mores minus commendantur, sunt enim mendaces, vani, re-  
rum novarum cupidi, mobili ingenio, ebriosi, nec ad civilia instituta se traduci pa-  
tiuntur, præter paucos qui in suburbanum *S. Francisci del Quito* commigrarunt: ve-  
stis eorum communis, est tunica sine manicis, supra & infra æque laxa, ita ut bra-  
chia & crura nudi incedant: capillos alunt & ne impedimento sint loro subligant:  
Christiana sacra ægre & pene coacti amplectuntur, & plerumque non nisi morti  
jam vicini petunt Baptismum. Præcipua eorum occupatio & quæstus lanam & gof-  
syptium emere, mundare, nere, & ex utroque pannos texere, artes has ab Hispanis  
50 edociti, quibus tributum pendunt secundum Canonem regalem.

Mittit nobis (*inquit Monardes*) *Quito* provincia sulphur vivum præstantissimum, ut nitrum translucidum, colore auri purissimi, cuius fragmentum pusillum lucernæ admotum odorem maximum sulphuris ejaculatur fumo viridi permistum; sed antequam incendatur, nullum sulphuris odorem præbet. Frustratur istic è venis proximis aurifodinis: itaque non sine causa ajunt Chymistæ, Argentum vivum auri esse mate-  
riam, sulphur vero formam.

cap. LVI.

## DESCRIP T. INDIÆ

Sub hac *Quitenſi Præfectura*, plures comprehenduntur provinciæ minores, de quibus particulatim posteā agemus: Denique hæc oppida ab Hispanis hic habitantur *S. Francisci urbs; Rhiobamba, Cuenza, Loxa, Zamora, Iaēn, S. Michaēl de Piura, S. Jacobus de Guayaquil, & Puerto Veyo*: de quibus ordine deinceps agemus: Sed prius viam prosequemur quæ ab oppido *Pasto* dicit ad metropolin *Quitensem*, ut situs & conditio harum regionum melius percipiatur.

## C A P. VII.

*Via quæ ab oppido Pasto ad Civitatem S. Francisci dicit & loca intermedia.*

**A** B oppido *Pasto* ad Civitatem *Quitensem* tendentibus, primo aditur pagus *Funes*; hinc trium leucarum itinere *Iles*: & totidem Palatum *Gualmatan*; inde trium leucarum itinere pagus *Ipiales*; quem *Didacus Fernandez* in Peruvia historiæ, quatuordecim à *Pasto* leucas abesse prodidit. In hisce pagis Mayzium admodum parce nascitur, quippe frigoris impatiens, quo hæc regio laborat, sed *Pape* aliæque ejuscemodi radices, quas Indigenæ plantant, liberalissime.

**I**piale. *Ipiale* digressos excipit *Guaca*, exigua provincia: hic jam illa Ingaram via cerni incipit toto hoc novo orbe celeberrima; meritoque admirabilis, quippe per arduos montes, perque inculta & asperrima loca, non minori industria quam labore ducta,<sup>20</sup> & tot hospitiis per singula intervalla, ad solatium iter agentium instructa. Hanc perfectam fuisse ab Indigenis scribit *Garcilassus*, ex parte regis *Huayna Capac*, quem Hispani vulgo vocant, *Guayanacavam*: hujus meminerunt pene omnes scriptores Hispani, *Augustinus de Zarate* lib. i. cap. xiii. *Petrus de Cieca*. cap. xxxvii; alii. Hospitia autem vocabant *Tambos*, quorum hodieque adhuc magnus est usus in Peruvia: nam uti accepi à quodam qui nuper vixerat in Peruvia, & pene per universam iter egerat: diversoria hæc juxta viam regiam collocata sunt, quinque aut sex & interdum pauciorum leucarum intervallo, pro difficultate & asperitate viarum; In iis autem perpetuo agunt aliquot indigenæ cum suo Præfecto, quem Hispani vocant *Alcalde*, cuius munus est, itinerantim atque advenerit, attribuere Americanum unum qui ipsi 30 ministret aquam, & ligna adferat, focum struat, lectum sternat, aliaque obsequia præstet; itemque alterum qui ipsi commeatum conquerat; & tertium qui mulam ducat ad pascua & mane reducat, sarcinas custodiat; quæ omnia summa sedulitate & fide ab ipsis præstantur; & quidem gratis; abeundi dantur etiam itineris duces, si postulet; servitium vocant personale, ad quod omnes Indigenæ tenentur.

**M**ortū- **T**ūza. **H**ic porro juxta amnem visuntur rudera veteris *Castelli*, olim à Peruvianis monarchis conditi ad Pastos populos in officio continendos. Super hunc amnem durissima petra inferius perforata, pontis instar, à natura strata fuit, ita ut hominibus transitum ad oppositam ripam præbeat; & undas per foramen inoffenso alveo transmittat, barbari sua lingua vocant *Lumichacam*, id est, pontem lapideum. In hisce 40 partibus reperitur fructus quidam maxima copia, quem vocant *Mortumnon*, pruno Damasco paulo minor & nigri coloris; cui plures minores ejusdem formæ racematis annascuntur: Si largius sumatur inebriat atque obstupefacit, magno vitæ discrimine.

*A Guaca* transitur ad *Tuzam* extrellum *Pastorum* pagum (quem *Augustinus de Zarate* viginti leucas abesse scribit ab oppido *Quitenſi*) & mox ad modicum montem, cui quondam castellum à Regibus Peruvianis fuerat impositum: atque inde ad fluviū *Miram*, ubi admodum fervet; ager tamen omnium frugum est fertilissimus.

**C**ap. 37. **I**8.c.7. *H*inc jam ad magnum & sumtuosum Palatum *Carangues* descenditur, lacu *Tahuarcocha* sive *Tahuarcocha* de via ante salutato, quæ vox barbarorum idiomate mare sanguinis denotat, quia *Guayanacapa* Ingaram longe maximus, viginti millia cadaverum, (ut scribit *Petrus de Cieça*) hominum suo jussu jugulatorum in hunc lacum projici imperavit. *Garcilassus* scribit, *Carangues* populos olim truculentissimos fuisse & viscerum humanorum tam appetentes, ut vicinis omnibus terrori essent, quos passim rapiebant & crudelissime dilaniabant; domitos autem ab *Huayna Capac* statim rebellasser, ministros Regis & præsidiarios ex improvviso cæcidisse & devorasse, hinc factum ut Rex

ut Rex cum maximo exercitu fines illorum ingrederetur & multa millia daret neci ; & denique duo millia captivorum ad ripas hujus lacus jugularet . Palatum autem *Carangue* modicæ planicie superstructum est ; & è grandibus saxis sine calce aut cemento , singulari industria congestum : licet autem jam ævo & neglectu pene conciderit , tamen vel rudera illius antiquam magnificentiam satis demonstrant .

Post Caranguen sequitur iuxta viam regiam *Otabalo* , vel ut *Garcilassus* scribit , *Otabalo* .  
vallu regium itidem jam olim palatum , nomen provinciæ servans ; pagus autem jam nobilis (duodecim à Civitate *Quitenſileuc.* ut observat *Augustinus de Zarate*) cui ad occidentem vicini sunt Indorum pagi *Poritaco* , *Collaguaco* , *los Guancas* atque *Cayambe* ;  
10 ad orientem *Cotocoyambe* & *Yumbo* montes , aliique quamplurimi . Indigenæ autem Carangues atque Otabali gentili nomine appellantur *Guamaracones* .

Ab Otabalo per editum & nivosum montem , in cuius vertice pene intolerabile frigus sentitur , transcenditur ad palatum *Cochesqui* ; atque ab eo descenditur ad fluviū *Guallabambam* : hæc regio immodo quidem æstu fervet , quippe humili solo & sub ipso pene Æquatore , habitatur tamen , subministratque incolis suis omnia ad vitam humanam necessaria perquam benigne .

A *Guallabamba* ad Civitatem *Quitensem* quatuor leucarum iter est ; quo intervallo multæ jacent Hispanorum villæ , in quibus pecuariam exercent , donec ad campum *Anaquito* perveniatur haud procul ab oppido , in quo anno *clx* *I* *xlv* cruentum  
20 illud prælium fuit inter Proregem *Blascum Nonnium Velam* & *Gonsalvum Pizarrum* ; & Prorex indigne cæsus & copiæ illius pene deletæ ; quod facinus *Pizarro* exitium acceleravit .

## C A P . VIII .

*Metropolis Provinciæ Quitenſis S. Franciſco Sacra , & Regionum adjacentium qualitates.*

**Q**uitensis provinciæ Metropolis *S. Francisci* nomine celebratur , & plerumque simpliciter provinciæ nomine appellatur *Quito* , vel *Quitu* ; quod nomen alii ipsi mansisse volunt à vetusto Regum Peruvianorum Palatio , cuius ruinis hoc oppidum superstructum sit ; in quo tamen falli videntur , nam ut scribit *Garcilassus* , habuit hæc provincia *Quitu* proprium suum Regem , quem Guayanacapa sub jugum primum misit : Condita autem est urbs in declivi convalle , quæ ab Arcto & occasu solis tegitur arduo montium jugo , qui , ut testatur *Herrera* , à portu Veteri ad mare Australe , longo atque continuo ductu se exporrigunt ad Cartagenam usque ad mare Septentrionale : Sita est ad altitudinem triginta tantum scrupulorum citra Æquatorem versus Austrum , ut *Cieça* & *Herrera* tradunt (à quibus plurimum dissentit *Augustinus de Zarate* , qui ad quartum gradum Australem illam submovet) octuagisimum autem & secundum gradum longitudinis à Meridiano Toletano in Occidente productæ . Distant ab ea *Puerto Veyo* atque *Guayaquil* leucas octuaginta & sex versus occidentem : (alii scribunt & vero magis consentaneum est , *Guayquil* abesse à *Quito* leucas quadraginta .) *Loxa* octuaginta versus Austrum : *S. Miquel* longe plures versus Africum : *Cartagena* emporium versus Arctum pene sexcentas ; *Lima* denique versus Austrum ut volunt , circiter trecentas . Ager illius ad orientem clauditur vastis montibus , ad Arctum Popajanæ præfecturæ parte . Solum licet sterilius videatur , tamen & frugum est fertile & bonum pecori ; regio per amœna est & tam graminis forma , quam anni tempestatibus ab Hispania non multum dicitur differre , nam æstas hic à Martio atque Aprili initium capit & desinit in Novembri , insigni temperamento .

50 Indigenæ huic civitati proximi longe urbaniores magnisque industrii sunt quam reliqui Peruviani , statura modica & laborum tolerantes . Magna hic reperitur gossypii abundantia , è quo panni texuntur , quos & indigenæ dominis suis Hispanis tributi loco pendunt . Solum urbis arenosum atque aridum , magna fissura per medianam urbem dehiscens , super quam plures pontes strati sunt . Semitæ urbis latæ atque rectæ ; quatuorque patentes areæ , una ante Cathedrale templum , reliquæ ante *Cœnobia* Dominicanorum & Franciscanorum : præter autem Cathedrale hoc , alia duo hic templæ

tempa visuntur, quorum unum *S. Sebastiano*, alterum *S. Blasio* dicatum, quingentæ familiæ Hispanorum dicuntur incolere & aliquot Lusitanorum & aliorum peregrinorum. Thesaurarius regis aliquique ministri regii hic habitant; uti præses & judices Conventus Juridici Regalis; itidem Episcopus cum nobilissimo collegio Canonorum: In Diœcesi autem ad quinquaginta millia Indorum vectigalium, qui in octuaginta & septem partitiones sunt distributi. Munitissimum denique est oppidum & ab omni belli apparatu egregie instructum; nam & exquisitissimus pulvis tormentarius hic conficitur.

Supra urbem, unius ab eodem leucæ intervallo, in montana regione, eminet mons, quem vocant Vulcanum, qui densum fumum exhalat & strepitus edit instar tonitruum; & interdum copiosum eructat cinereum, quo; mense Octobri anni *clo 151x*, vicinos agros ita opplevit ut non leve damnum satis atque pecoribus inferret, usque dum à plaviis dilueretur.

Mira.

In finibus *Miræ*, (qui pagus Otabali dominum agnoscit,) putei reperiuntur salsi, è quibus sal fuscus & subamarus coquitur, quem tamen indigenæ magni faciunt. Dimidiā ab urbe leucam lacus jacet, circiter leucam ambiens, qui complures anseres & alias lacustres volucres nutrit.

Vina, oleum, aromata aliæque merces Europeæ, à mari subvehuntur Australi, primum adverso flumine *Guayaquil*, dein curribus. Etiam barbari hīc fora sua rerum venalium celebrant nullo certo pondere aut mensura, sed permutatione ad ocum facta, quæ ab Hispanis multum frequentantur. Præcipuæ autem harum partium merces sunt, (præter fruges & animalia) casei ovilli, vaccini atque caprini; gossypinæ vestes, panni omnis generis, (qui maximam partem texuntur in pago *Tacunga*;) pilei, funes nautici, coria, linum, lanæ: Saccharum quoque jam dudum hic excoli cœpit, multæque artes Mechanicæ singulare industria etiam ab Indigenis exerceri.

Præter Mayzium, duo humanis usibus comparata hic passim nascuntur, *Papæ* nimirum radices subterraneæ, bulbo castanis haud absimiles, quæ coctæ mollium castanearum saporem æmulantur, frondem autem emitunt papaveris silvestris, ut ait *Cieça*, frondi similem; sed perperam: planta toti Europæ jam notissima est, quam diligentissime descripsit V. C. Carolus Clusius in Historia Rariorum Plantarum.

Deinde *Quimba* sive *Quinua* planta (ut loquitur *Cieça*) humanam altitudinem æquans, foliis bliti Mauritanici, semine pusillo albo vel rubro, ex quo potionem parant, aut

1.4. c. 52. elixo vescuntur ut nos oryza: planta jam dudum Europæ nota fuit (inquit idem Clusius) licet non illo nomine. Nihil igitur aliud est *Quinua*, quam majus illud *Bliti* genus, humanam altitudinem interdum superans, caule crasso, firmo, in multos ramos inæqualiter nascentes diviso, vulgaris *Bliti* foliis, sed amplioribus & longioribus, summo caulis fastigio multas ferens spicas, sive paniculas, palmum & amplius longas, nutantes, extrema nonnunquam parte latiusculas & quodammodo cristatas instar comæ amaranthi cristati, coloris coccinei obsoletioris & degeneris, quæ maturæ, multa granula alba rotunda continere conspiciuntur. Sed jam ad itinerum rationem describendam revertamur: quæ nos ad reliqua hujus provinciæ oppida & municipia deducent.

## C A P. IX.

*Iter ab urbe Quitenſi ad Rhiobambam, regionum qualitas & Indigenarum ingenia atque mores.*

**A**B urbe *S. Francisci del Quito* ad regalia palatia *Thomebambæ* quinquaginta tres, aut ut ab *Herrera* alibi dicitur & nos in tabula Geographica secuti sumus, quinquaginta & quinque leucæ numerantur. Iter autem à *Petro de Cieça* particularim designatur in hunc modum.

Ab urbe *Quitenſi* viâ regiâ proficiscentibus versus Austrum & Metropolim *Cusco*, primo occurrit *Panzaleo*: cuius indigenæ à vicinis suis nonnihil differunt, tum idiomate, cum capillos in nodos colligandi modo; qui modus ut plurimum bárbaros harum provinciarum discernit. Intermedio spacio utrinque aliquot pagi jacent in montanis; ad dexteram quidem sive occidentalem plagam *Vcchillo* & *Languazi* valles, cœli temperie

temperie & soli ubertate nobiles ; à quibus semita dicit ad *Yumbi* montes , in quibus durum atque incultum hominum genus agit , quod ab asperis atque aditu difficilibus locis magis efferatur : ad sinistram vero alia semita dicit ad *Quixos* populos de quibus mox dicemus .

A *Panzaleo* trium leucarum itinere *Mulahalo* aditur , ubi quondam diversorium *Mulahalo* fuit & penu in usum militarem à Regibus sepositum , quum illac iter facerent , nunc pagus est infrequens : ad dexteram *Vulcanus* cernitur , qui olim multos pumices & cineres egerebat .

Paulum progreslis occurrit *Tacunga* (quindecim ut *Didacus Fernandez* testatur à *Tacunga* Metropoli *Quiteni* leucis) sumtuosum olim palatium & *Quiteni* nequaquam inferiorius , uti è ruinis illius hodieque apparet ; nam & foramina videntur in parietinis , quæ dum res *Ingarum* starent , aureas ovium imagines , ut volunt , continuerunt : hīc templum Solis fuit cum suis *Vestalibus* quas *Mamaconas* vocabant ; variaque horrea in quibus omnis generis annona recondita erat , multa animalium stabula & caveæ omnis generis volucrum : ædes omnes lapideæ & stramine tectæ . Indigenæ sunt colore fusco , licet fœminarum genus non illepidum sit & decora facie . Hīc hodie frequens est pagus , ubi multos pannos texi supra diximus , è quibus incolæ questum faciunt .

A *Tacunga* per regiam viam venitur *Mulambatum* , ubi similia hospitia erant , populus autem nihil pene differt à *Tacunganis* . Hinc ad *Ambato* fluvium , & tribus ab hoc leucis transitur ad *Palatum Mocha* , speciosum quondam ædificium , nunc uti & cætera *Ingarum* ædificia , pene collapsum : pauci hic barbari eisdem moribus & instutis quo præcedentes degunt .

Ad occasum *Sichi* in aliquot pagos divisæ , ad orientem *Pillani* agunt in perfœcunda regione , ita ut nihil eorum quæ ad vitam humanam necessaria sunt illis desit ; multique Hispani pascuorum bonitate alleæti hic exercent pecuariam : aluntque impensis multos porcos , qui omnium Petuvianorum optimi judicantur .

A *Mocha* venitur ad *Rhiobambam* , magnifico Palatio olim spectabilem , in *Purvâ* *Rhiorum* provinciâ sitam , quæ tota campestris & cœli temperie & herbarum copia , floridumque elegantia Hispaniæ simillima : Indigenæ miti sunt ingenio & vestiuntur ad *Quitenium* normam , comam & alunt & subligant elegantet . Hīc quondam *Quitenense* oppidum conditum fuisse scribunt ; donec ad locum ubi nunc visitur traduceretur . Distat autem *Rhiobamba* ab oppido *Quiteni* leucas quinque & viginti , ut *Herrera* , vel duas & viginti , ut *Didacus Fernandez* , versus Africum : pecuariorum modo sedes , ita ut hic ultra quadraginta millia pecudum numerentur . Ad orientem degunt multi barbari inter montana , à quorum finibus fluminis *Maranon* , ut *Herrera* scribit secundum communem Hispanorum opinionem , fontes haud longe putantur abesse : ad hanc plagam & *Tangarage* vel *Tincuracu* , juga sita sunt , multis barbarorum pagis culta . Ad occidentem vero *Vrcolazo* vel *Vrcollasu* , montium nivosa juga videntur , incolis frequentissima , per quorum fines iter ad urbem *Guayaquil* dicit .

A *Rhiobamba* progrediuntur ad *Cayaben* sive *Cayampi* , ubi hospitia itinerantibus parata in patenti campo sub frigidiore cœlo . Hinc ad *Teocaxarum* (sive *Tucassa* , ut *Garcilassius* scribit) diversoria , in medio solitudinis cuiusdam sive *Puna* sita , ubi acriter frigetur .

Trium deinceps leucarum itinere aditur *Palatum Tiquicambi* , ad dexteram quidem habens urbem *Guayaquil* , ad sinistram vero *Palatam* sive ut *Garcilassius* vocat , *Pumacambitan* , quæ vox sonat terram leonum , quia hæ feræ plurimum hīc generantur : & *Quisnam* vel *Quesnam* provincias ; & populos quos vocant *Macas* , aliasque vastissimas provincias .

Hinc descenditur ad *Chancham* & calidores regiones , quæ ut & cæteræ ejusdem Châcha conditionis ab indigenis communi nomine appellantur *Yunga* .

Denique ab hoc pago ad *Thomebamba* viginti numerantur leucæ , quo intervallo singulis tribus quatuorve leucis , *Tambo* , id est , diversoria olim condita , inter quæ duo eminent *Cannaribamba* & *Hatuncannari* , ab indigenis qui vulgo *Cannares* dicuntur , haud dubio ita appellata , de quorum ingenii & moribus statim dicemus .

*De Magnifico Palatio Thomebamba, deque Provincia & moribus  
populorum quos vocant Cannares.*

INTER Palatia quæ ab Ingis Peruviaæ monarchis complura per totum regnum passim fuerant constructa, cum adjunctis ædificiis, in quorum unis arma militaria varii generis, in alteris vestimenta aut annona maxima copia congerebantur: principem locum suo merito flagitat magnificentissimum & opulentissimum Palatum *Thomebamba*, (vel ut *Garcilassus* effert *Tumipampa*) in provincia *Cannarum* situm; de quo licet barbari multa mirabilia & stupenda referant, tamen illius reliquiae vel potius rudera coram visa, admirationem supra modum dicuntur augere: ager illius ad occasum quidem provincia *Guancabilcarum* populorum, ad ortum concluditur ex celsis montibus: ipsum in lata planicie, quæque duodecim circiter leucas ambitu complectatur, est ædificatum, ad duorum amnium confluentem: Regio paulo frigidior est, cæterum venationi cervorum, cuniculorumque, & aucupio perdicum, turturum, aliarumque volucrum peropportuna. Templum hic erat Soli dedicatum, è majoribus saxis, quorum quædam nigra erant instar lydii lapidis, alii colore jaspidis virentis: vestibula eleganter piæta & variis gemmis atque aliis ornamentis distincta: parietes autem non modo hujus templi, sed & regiæ aulæ interius auro erant tecti, in quibus variæ figuræ sculptæ erant: recta autem licet stramentitia, tamen tantâ industria erant concinnata, ut ævum possent ferre; denique incredibilis auri atque argenti gaza hic erat congesta. Insigne autem indicium obsequii subditorum erga principes, quod refert *Cieça* & confirmat *Garcilassus*, ingentia illa saxa, è quibus magnificum hoc palatum & templum Solis fuere congesta, inde à *Cusco* longissimo & difficillimo itinere fuisse deducta. Cæterum sumtuosissimum hoc ædificium jam penitus est collapsum, nihilque superest præter vastum cadaver.

Indigenæ hujus provinciæ appellantur *Cannares*, gens facie pulchra & corpore valde agili; promittunt quidem capillos, verum tam eleganter colligunt in nodos & coronæ in modum concinnant supra verticem, ut hac nota potissimum à vicinis populis distinguantur; amiciuntur lanceis aut gossypinis pannis; muniuntque crura & pedes ocreis, quæ è *Cabuia* ingeniose admodum sunt contexta. Fœminarum genus haud invenustum sed impudicum, Hispanorum atque aliorum peregrinorum consuetudinis supra modum appetens: licet operis rusticis aliisque masculis exercitiis ut plurimum occupentur; dum viri domi desident, trahunt pensum, texunt, atque alia fœminarum officia facere minimè erubescunt: qui etiam Hispanis per provinciam iter facientibus, uxores atque filias ultiro concedunt ad onera, instar jumentorum, succollanda: Causam arbitrantur plerique, quod longe plures fœminæ, quam males in hac provincia, reperiantur. De cæteris illorum moribus dum pagani essent, non est necesse plura jam dicere, siquidem jam diu religionem Christianam cœperunt amplecti.

Provincia porro horum populorum amplissima est atque latissima, multis amnis rigua, è quibus maximæ divitiae olim fuerunt erutæ; nam anno *c. 1515* tam opulenta metalla hîc reperta narrant, ut cives *Quitenenses* brevi tempore supra octingenta millia ducatorum ex iis hauserint; tantaque erat auri opulentia ut pene tantum auri quantum terræ effoderent (Hispanos sequor Authores & imprimis *Petrum de Cieça*.)

Ager tritici atque hordei satis ferax: nec maligne tolerat vites, ea est temperies hujus provinciæ. Ab hac provincia nulla pertinet via ad mare Australæ; nisi forte per valles *Piure* & oppidum *S. Michaëlis* de quo mox dicemus.

Verum antequam viam regiam quæ per montana ducit, prosequamur & provincias mediterraneas describamus, quæ dextrâ levaque illam attingunt; paulum nobis divertendum ad provincias quæ proprius attingunt mare Australæ, & dicendum de *Portu Veteri* cæterisque locis quæ jacent versus occasum ab iis, de quibus hactenus diximus.

## C A P. XI.

*Iter quod à Provincia Quitensi dicit ad mare Australē, &  
Regionum adjacentium qualitates.*

**A**D Latus Provinciæ *Quitenſis*, haud procul à *Rhiobamba* (de qua supra) sita cap.<sup>ix.</sup> est provincia *Chumbo*; intermedio autem spacio habitantur plurimi pagi à Chūbo. frequentibus incolis, qui omnes certis notis, uti in universa *Peruvia* est usitatum, inter se distinguntur. In hisce regionibus jam plurima templa constructa esē dicuntur, in quibus Sacra Romano ritu celebrantur, & juventus à religiosis docetur preces & sacras cantilenas. Ab hac provincia *Chumbo*, difficile atque impedita via quatuordecim leucarum pervenitur ad fluvium, ad cuius ripas indigenæ semper rates habent paratas, quibus itinerantes devehunt ad locum in hoc imperio celeberrimum & notissimum, quem Hispani vocant *el Passo de Guayanacapa*, de quo paulo post plura dicemus.

Primus autem *Peruvia* portus ad mare Australē appellatur *Passo*, à quo uti & à *Passo*. flumine *S. Iacobi* olim limites præfecturæ quam *Franciscus Pizarrus* ab Imperatore im- petraverat, sumebant exordium; nam terræ quæ magis versus Austrum vergebant, accensebantur flumini *S. Ioannis*; de quo supra. 1.9. c. 18.

**20** Indigenæ Provinciæ *S. Iago* quam vulgo vocant de *Puerto Vejo* statura sunt me- diocri, possidentque solum longe uberrimum, quod & optimum *Mayzium* & *Yu-* *cam Batatasque* & alias edules ac salubres radices ad usum generis humani produ- cit abundantissime: Optimæ hic reperiuntur *Guayava* duorum triumve gene- rum; *Guave* atque *Aguacates*, *Tuna* duorum generum; *Caymiti* atque *Cerezilla*: quin & melones aliique Europæi fructus, hic egregie maturantur. Plurimi hic passim vagantur porci Americani quibus umbelicus est in dorso, atque etiam Eu- ropæi. Cervi quoque carne imprimis sapida. Innumeræ aves, atque inter illas *Xutæ* anseribus haud absimiles, quas barbari cicurant & domi alunt; atque ad mensarum adhibent delicias. Deinde & aliæ volucres quias vocant *Macas*, galli- Xutæ. Macas. naceis nostratisbus paulo minores, rostro oblongiori, coloris flavi atque rubentis, plumis autem tam mira varietate distinctis, ut intuentes in sui admirationem rapiant.

Montes atque convalles densis nemoribus variarum arborum passim sunt obsi- tæ, quarum materies ad ædificia perutilis censemur.

Indigenæ capiunt variii generis pisces, quorum ii qui *Boniti* appellantur, viliores æstimantur, quia febres & alios morbos putantur generare. Barbari autem qui ad oram maris Australis degunt, maligno quodam rubentium verrucarum sive pustula- rum genere infestantur, quæ interdum nucum magnitudine in fronte & ad nares, cæterasque humani corporis partes emergunt; quod à piscis cujusdam usu in cibis 40 ipsis contingere quidam opinantur, alii aliis causis imputant; molestissimus cæ- rum est affectus & non raro lethalis.

Duplex autem hominum genus observant hanc oram & mediterranea incolere: nam à Promontorio *Passo* & flumine *S. Iacobi* usque ad pagum *Zalango*, tam mares quam fœminæ persignant faciem notis quibusdam, ab auriculis ad mentum usque ductis, ornanturque diversis monilibus aureis & imprimis certis rotulis, quas vul- go vocant *Chaquiram Coloradam*, quam in hisce partibus maximi faciunt. Notandum autem *Chaquira* vocem esse *Peruvianis* propriam, qua designant catenulam ex auro Chaqui- artificiose elaboratam, quales etiam ante Hispanorum adventum tam scite & subti- ra. liter elaborare noverant, ut Europæis admirationi essent, ut scribit *Garcilassus*. 1.8. c. 5.

**50** Præcipui pagi horum populorum sunt *Passo*, *Xaramixo*, *Pomaguace*, *Peclausemeque* & vallis *Xagua*, *Pechonse* seu Monte Christo, *Apechigue*, *Silos*, *Canilleja*, *Manta*, *Zapil*, *Manavi*, *Xaraguaca* & alii. Domus eoruim sunt ligneæ & stramine desu- per tectæ.

*Manta* municipium ad oram maris Australis est situm: hic quondam ingens Sma- ragdus magno vicinorum concursu colebatur pro numine: nec dubium est ditissi- mas harum gemmarum venas haud longe ab hoc loco abesse, quemadmodum testa- tur *Acosta*.

<sup>l. 4. c. 14.</sup> tur *Acosta*: Juxta *Mantam* (inquit) & portum *Veterem* quamplurimi inveniuntur *Smaragdi* & in mediterraneis celebratur locus, vulgo *de las Esmeraldas*, ob copiam illarum gemmarum; licet ea regio nondum ab Hispanis perlustrata aut domita sit. *Manta* autem hodie est primus Peruviae portus, ad quem plerique à Panama venientes solent appellere, & maris pertæsi, terrestri itinere Limam petere: Statio navibus haud incommoda est: pauci hic degunt Hispani, omnes sunt indigenæ, qui rudentibus torquendis & aliis ministeriis nauticis utplurimum occupantur; nam & aliquot celoces hic habent.

<sup>Cara-</sup> Barbari qui mediterranea incolunt, idiomate utuntur diverso, licet moribus à littoralibus haud multum discrepent; in fluminibus illorum multum auri reperiit <sup>10</sup> constans est fama.. Alterum genus barbarorum appellatur *Caraques*, qui uti & vicini illorum diversis moribus & institutis agunt à superioribus; neque enim faciem ullis notis persignant, neq; ingenio sunt tam habili aut industrio, sed hebeti & rustico.

Quidam eorum præsertim qui ad Arctum à *Colyma* degunt, ante Hispanorum adventum penitus nudi agebant; quod jam mutarunt.

### C A P. XII.

#### Descriptio oppidi Puerto Veyo atque S. Jacobi de Guayaquil, nec non oppidi Castro in Provincia Bunigando.

20

**O**PPIDUM *Puerto Veyo* secundum *Herreram* situm est ad altitudinem unius gradus citra Äquatorem versus Austrum, octuaginta leucis ab urbe *S. Francisci del Quito* ad occasum Solis, itinere difficile & valde impedito; quinquaginta ab oppido *S. Iago de Guayaquil*: haud longe ab Oceano Meridionali; ad quem habet portum *Manta*. Locus insalubrior est, & indigenæ regionis illius brevioris ævi, quod quidem ex eo oriri existimant, quod tam vicinasit Äquatori, sed quum experientia constet sub eodem clymate regiones jacere longe saluberrimas, ab aliis causis licet occultis esse necesse est, à quibus & verrucæ illæ profiscuntur, de quibus supra diximus, quæ & hic vel maximè sunt exitiosæ. *Lupus Vazius Lusitanus* testatur, <sup>30</sup> oppidum hoc quondam fuisse opulentum, sed *Smaragdorum* pretio præ nimia copia vilescente jam ad inopiam esse redactum.. In finibus hujus oppidi maligne admodum nascitur triticum ob nimias pluvias, quæ hic fere continuo octo mensibus decidunt, inde à mense Octobri: cæterum ditissimas auri venas terræ gremio hīc abscondi, ab Hispanis vulgo creditur: oppidani tamen magis pecore abundant, quam pecunia, uti accepi à quodam qui nuper viderat.

Guaya-  
quil.

Urbs *S. Jacobi de Guayaquil*, quæ etiam alio nomine ab Hispanis appellatur *la Cullata*, distat ab urbe *S. Francisci del Quito* leucas sexaginta versus Africum; & quindecim ab Oceano Meridionali; sita ad interiorem ejusdem recessum, quadraginta leucas à portu *Paita* versus arctum: ad ipsum autem hujus recessus exordium five <sup>40</sup> super fluminis *Guayaquil* æstuarium, jacet Indorum vicus olim celebris quem veteri nomine vocant *Tumbez*. Iter à Portu Veteri ad hanc urbem agitur per plurimos pagos quidem Indorum, sed & per plurima nemora & solitudines. Cæterum *Guayaquil* est emporium alicujus pretii, quod à frequentibus Hispanis habitatur. Hic & naves fabricantur ob materiei bonitatem & affluentiam; & funes torquentur nautici: largam quoque materiem vehunt Limam, tam ad ædificia, quam ad naves fabricandas. Solum suburbanum admodum est fertile, atque amœnum: multumque mellis hic colligitur è concavis arborum truncis.

Fluminis *Guayaquil*, à quo huic urbi agnomen, undæ admodum salubres judicantur, & egregium adversus luem venereum atque similes affectus remedium, <sup>50</sup> adeo ut è vicinis atque longinquis regionibus plurimi huc confluant; Hanc virtutem aquis hujus fluminis communicari autumant à *Zarsa parilla* quæ ad ripas illius & in vicinis agris lœtissimè provenit, & in alias regiones maxima copia deportatur. Nemorosa est regio, quæque optimam materiem navibus fabricandis subministrat. Sola est urbs totius oræ Peruvianæ in qua pluat, inde ab Atacama in finibus Regni Chilensis.

Guaya-

*Guayaquil* flumen tantum est modicum, ut fere cætera quæ in mare Meridionale egrediuntur, si cum iis quæ in Septentrionalem Oceanum exeunt, comparentur, ob decursus eorum brevitatem; rapidissima autem propterea sunt, facilique momento egrediuntur ripas suas, ob vicinitatem montium à quibus descendunt. Oritur autem hoc in provincia *Quitensi* ex editissimis jugis, quæ ad ortum vergunt; variisque amniculis per intervalla acceptis augetur sensim, ita ut ostium illius sive æstuarii pene sesquileucam pateat. Maximus Peruviaæ Monarcha *Guaynacapa* agressus erat iter sternere silicibus per hoc flumen, sed minime absolvit, stupendum opus futurum fuisse, reliquæ operis inchoati satis demonstrant: *Passo de Guaynacapa* 10 hodie appellatur, duodecim, ut *Petrus de Cieça* tradit, supra Insulam Punam leuis. Merces omnes *Quitensi* provinciæ destinatae hoc flumen longo & laborioso itinere subvehuntur.

Barbari qui gentili nomine appellantur *Guancabilca*, parent oppidanis *Guayaquil*: ad ejusdem Dicecesin pertinent pagi *Raqal*, *Colonche*, *Chinduy*, *Chongen*, *Daule* & *Chonana* aliique complures, solo imprimis fertili atque omnibus ad vitam humanam necessariis affluente. Urbem ipsam cingit patentissima planicies, pauci colles, sed luci longe amoenissimi.

*Chonorum* item natio, accolit haud longe ab urbe *Guayaquil*, ripas fluminis *Daule* Choni. qui compactis ratibus merces omnes adverso flumine subducere consueverunt, ad *Daule*. 20 alia ministeria pene inutiles.

Antequam ab hisce regionibus discedamus, haudquaquam omittenda Hispanorum Colonia *Castro*, à tribuno militum *Contrera* anno 1515 LXVIII ab urbe *Guayaquil* in vallem *Vili* deducta, quæ ad provinciam *Bunigando*, *Imdinono* atque *Gualapæ* pertinet, quæ aliter quoque vocatur provincia *Smaragdorum*, cuius & ante meminimus. Idem primus perlustravit regiones littorales à promontorio *Passao* ad flumen *S. Ioannis*, sed illius observationes nondum vidimus.

### C A P . XIII.

#### 30 Itineris ratio à Palatio Thomebamba ad oppidum Loxam; ejusdemque & Cuençæ descriptio.

**R**EVERTAMUR jam ad viam Regiam & montanas mediterraneasque regiones. A Palatio *Thomebamba* ad metropolim *Cusco* tendentibus, primo iter est per provinciam *Cannarum* donec *Cannaribambam* aliaque Palatia præterierint: ad utrumque autem viæ latus, plures spectantur ejusdem provinciæ pagi; ad sinistram etiam altissimi montes, quorum radices quæ ad orientem spectant, à variis habitantur populis, qui ad flumen *Maranon* ut loquitur *Herrera*, existimantur pertingere.

40 Fines *Cannarum* egressos excipit provincia *Paltarum*, veteribus Peruviaæ Monarchis perchara, uti apparet è vestigiis magnifici Palatii, quod hodie ab ingentibus saxis, summo labore & industria huc traductis, Hispani vocant *de las Pedras*: habet hæc provincia ad occidentem *portum Veterem*; ad ortum *Bracamoros*, & alias amplissimas provincias, vastos montes, pluresque populos linguis atque institutis diversos, quorum qui ad radices montium ad orientem incolunt fere nudi agunt, neque ingenio neque moribus cum Peruvianis ullatenus comparandi. De *Paltis* 50 ipsis scribit *Garcilassus*, ipsos imprimis decorum & formosum æstimasse, esse fronte lata & capite pando; ideoque infantibus primum natis tabellis quibusdam frontem & occiput compressisse usque ad tertium ætatis annum ut tales evaderent, quod alii imprimis indecorum & turpe judicant; unde proverbio inter gentes Peruviaæ usurpatum, ut qui lata fronte & pando occipite esset, & capite utrimque compresso, quod scđum aspectu, tales appellarent *Palta uma*, id est, caput *Palte*.

A *Cannarum* provincia ad urbem *Loxam* septendecim numerantur leucæ, difficulti itinere & crebris paludibus impedito. Statim autem à Palatio *de las Pedras*, ascenduntur montes, modice quidem editi, sed admodum frigidi, qui decem leucas in longitudinem se extendunt ad alterum palatum, ad radices eorumdem positum,

Tambo- vulgo *Tamboblanco*, à quo via regia declinat ad fluvium *Catamayo*, ad cuius ripas  
blanco. urbs *Loxa* ab Hispanis condita: ad dextram atque sinistram plurimi pagi habitantur  
à barbaris, qui ingenio & moribus à præcedentibus nihil differunt. Provincia hæc  
salubris est & cœlo perquam benigno, qua subsidet in valles: nam montosiora loca,  
licet habitentur, frigidiuscula sunt; solitudines autem & nivosæ petræ longe frigidissimæ.  
Utramque fluminis ripam tegunt sylvæ, multæque fructiferæ arbres ab Hispanis hic consitæ, quæ maximum capiunt incrementum.

Calua Ayava- A *Tamboblanco* ingrediuntur *Calluum* & *Ayavacam* provincias, quæ ad ortum  
ca. quidem concluduntur ab Andibus, ad occasum vero finibus oppidi *S. Michaëlis de*  
*Piura*: præcipuum harum municipium *Caxas*, ubi insigne Regis palatum, aliaque  
ædificia quondam fuerunt: hisce proxima est *Guancabamba*, Palatio regio & in-  
gentibus structuris nobilis, quarum hodie tantum rudera visuntur: aliaque pro-  
vinciarum perplures, quæ ad *Loxensem* Diœcesin referantur. Sed de oppidis jam  
dicamus.

Cuenca. *Cuenca* quæ & *Bamba* gentili nomine dicitur, abest ab oppido *S. Francisci del Quito*  
leucas unam supra quinquaginta: habet cœnobium Dominicanorum & alterum Mi-  
norum; regitur per Legatum, quem Hispani vocant *Corregidor*: Diœcesis illius, auri,  
argenti, æris, ferri atque sulphuris venis dicitur abundare.

Loxa. *Loxa*, quæ & *Zarza* vocatur, assidet regiæ viæ, sedecim à *Cuenca* leucas versus  
Austrum, ut *Petrus de Cieça* testatur, octuaginta à Metropoli *Quitenſi*; fines ha-  
bet ab Oriente *Zamoranam* Diœcesin, ab occidente viam quæ dicit ad *Päi-  
tam*: ad Afficum denique oppidum *S. Michaëlis*. Sita est autem ad altitudinem  
quinque graduum Australium, inter duo flumina limpidissima, in amœna & for-  
mosa valle *Cuxibamba*, quæ nullis culicibus obnoxia est, & nullis venenatis animan-  
tibus infestatur. Aër hic salubris, magisque calidus quam frigidus, raro nu-  
bilus; à Martio ad Augustum hic multum pluit, ningit autem nunquam. Co-  
piosa hic materies & longe optima, cedrina, quercina, aliarumque arborum,  
uti ad ædificia abunde sufficiat. Multi hic fontes & scaturigines saluberrimarum  
aquarum: In provincia autem *Caruma* visitur fons ita æstuans, ut ab animan-  
tibus tolerari non possit, graviter tamen vulnerati utiliter ejusdem aquis fo-  
ventur; cæterum sapore sunt peramaro & odore sulphureo. Solum *Mayzii* & *tritici*  
perfertile; pecori optimum, tam doméstico, quam peregrino: luci volucribus,  
amnes piscibus pleni. Cives equis & armis sic satis instructi, cætera haud opu-  
lenti. Barbarorum numerus quotidie augetur & Christianam religionem haud  
segniter amplectuntur. In urbe præter templum, sunt cœobia Dominicanorum  
& Minorum.

## CAP. XIV.

*Zamora atque Jaén oppida & Chuquimayo Provincia  
descripta.*

40

**V**RBS *Zamora* collocatur ab *Antonio Herrera* ad sextum gradum altitudi-  
nis Australis, nos in Tabula Geographica ad quintum removimus, distan-  
tiis vicinorum locorum persuasi: distat à *Quitenſi* Metropoli octuaginta leu-  
cas versus Eurum, ab oppido *Loxa* viginti recta versus ortum, & sub orientali An-  
dium latere; denique septuaginta ab oceano Meridionali. Provincia haud supra vi-  
ginti leucas complectitur, quam barbari vicini quondam appellabant *Proaucam*,  
quæ vox bellatorem populum significat. Aëris constitutio humida atque calida;  
licet aquilo hîc maximam anni partem perflet, (haudquaquam gravis aut tempestuo-  
sus) crebræ hîc pluviæ, quibus tamen cessantibus egregie hîc serenat. Pestilentia  
aliisque contagiosi morbi hîc fere incogniti, cæteris Tabacco imprimis obviam eunt:  
habent & aliam herbam, quam vocant *Aguacollam*, & in omnibus pene medica-  
mentis usurpant. Solum producit quoque sponte certas nuces, quæ crudæ lethales,  
coctæ vero insigniter nutriunt. Regio quibusdam locis montosa, cæteris plana  
atque campestris. In montanis nascuntur frequentes cedri, aliæque arbres durissima  
atque incorruptibili materie. In finibus hujus oppidi plura sunt auri metalla, è  
quibus

è quibus grana quædam effosa, inusitatæ molis, quorum unum Hispaniarum Regi Philippo II oblatum ferunt octo appendens libras: nec dubium quin alia quoque metalla terræ gremio abscondantur, licet hactenus neglecta ab incolis. Putei & scaturigines salsa h̄ic frequentes, è quibus optimi salis cogitur copia. A jugis montium descendunt aliquot amnes, versus orientem atque etiam occasum, uniligneis scaphulis navigabiles, quorum aquæ limpidæ & potari pulcherrimæ: quumque per auriferos montes defluant, multa sècum devehunt auri ramenta. Omnis generis frumentariorum arbores, tam Domesticæ, quam Europeæ, admodum h̄ic proficiunt; uti & fruges atque herbae: Solummodo triticum atque hordeum malignè admodum patitur tellus. In montanis reperiuntur aliquot ferarum genera, uti tigres & leones, sed pauci atque pusilli: plurimi h̄ic Paci; armentorum quoque Europæorum, suum, caprarumque copia. Quid multa; & amnes nutriunt optimos pisces maxima copia, & tellus alit apes, quæ & plurimum mellis faciunt, & carent aculeis. Oppidum ipsum per pulchrum est; ædes è lignis atque lapidibus substructæ; Templum elegans: & Dominicanorum cœnobium haud vulgare. Regii ærarii Præfectus h̄ic habitat. Ceterum aurifodinæ excoluntur à Nigris: indigenæ enim hujus provinciæ sunt ingenio humili, industria pene nulla, laborumque impatientes: Ante Hispanorum adventum vivebant raptu, & spoliabant alii alios, obtruncabantque nonnunquam, nunc & vestibus amiciri & cultioribus didicerunt moribus vivere.

Oppidum *Iaén*, distat ab oppido *Loxa*, (ut testatur *Anton. Herrera*) leucas *Iaén*. quinque & quinquaginta; à *Chachapoya* triginta; situm in meditullio provinciæ *Chacaynga* (quæ numeratur inter provincias quæ communi nomine, à barbaris vocantur *Chuquimayo*) in edita quidem regione atque montosa, sed egregiè temperata.

Provinciæ porro quas communi nomine appellant *Chuquimayo*, nomen suum mutuantur à flumine *Chuquimayo*, quod easdem interluit; habetque ad occasum *Chuqui* & Austrum provinciam *Chenchipen*. Flumen est vastum atque piscosum, & quam rapidissime decurrens, ita ut Hispani atque aliæ nationes illud transnatare pertimescant: *Chenchipanis* vero atque aliis harum regionum Indigenis, qui natandi sunt peritissimi, tam familiare est, illud transeat, ut etiam fœminæ cum suis infantibus illud aggredi minime vereantur. Plurimum Mayzii fert hæc regio, quod singularis quaternis mensibus maturatur; multum Yucæ & similiū radicum; aliorumque fructuum Americanorum; inter quos & Xaquæ quibus nigredinem cuti inducunt, ut Nigris esse videantur. Præter vallem, quam transit, & paucos campos quos suis meandris intersecat, obtengunt ripam fluminis utramque altissimi montes; ultra quos, trium leucarum à dicto flumine intervallo, alia aditur provincia, quam vocant *Perico*, cuius indigenæ ab iis qui ripas fluminis accolunt, différunt lingua atque moribus: provincia hæc incolis frequens, fœcunda & bene cultura.

Ab hac septem leucæ numerantur ad *Cherinorum* provinciam, itidem frequenter *Cherini*. tissimam indigenis, qui aliud flumen satis vastum accolunt, suntque valde bellicosæ & alterius linguæ: Solum perfœcundum & flumen auriferum.

*Cherinorum* provinciam sequitur *Silla* & dein *Chachaynga*, utræque montosæ provinciæ, non tamen asperæ; & temperie aëris singulariæ.

Provincia *Copallen* ejusdem est genii, dives ovibus. Indigenæ autem provinciarum *Lanke* sive *Lanza*, & quam Hispani vocant *Loram del Viento*, iisdem vivunt moribus atque institutis.

*Tomependæ* vero populi, qui *Vaguam* vallem inhabitant; in planicie atque campestribus agunt & propterea vocantur *Tungæ*; perurbana natio: Solum illorum fertilissimum & ager omnibus rebus affluens, præsertim melle & omnigenis fructibus. Paulo ulterius jacent hæc provinciæ, *Anta*, *Coanda*, *Tabancara*, *Palandra*, *Xarocæ* atque *Cobinbinama*, montanæ oīnnes, nec tamen infœcundæ aut annonæ indigæ; & si vulgaris opinio non fallit auri atque argenti venis locupletes. Satis autem constat, quod à quodam qui nuper Peruviam adierat accepi, plerasque gentes qui Andes accolunt, aut in intermediis vallibus degunt, aurum possidere, nam plurimi indigenæ, qui Hispanis moribus jam assuevere, cum variis mercibus ad istos solent penetrare,

& pro mercibus suis aurum reportare, ejus generis quod vocant Bolador, duorum & viginti Caratorum.

## CAP. XV.

*Plana Peruviae, Vallis Tumbez, S. Michaëlis oppidum  
& portus Païta.*

**V**IAM regiam quæ per montana ducit, superioribus capitibus perduximus ad *Guancabambam*, & eadem opera notissimas provincias mediterraneas atque montenses recensuimus; nunc ad planiciem Peruvianam transibimus, ubi prius obiter è *Didaco Fernandez*, annotavero, inter *Caxas* & *Chinchacaram* novem, in-<sup>10</sup>ter *Chinchacaram* autem & *Piuram* septem numerari leucas, ut ex hisce connexio in-ter montanas & maritimas provincias nonnihil illustrari possit.

**Tumbez.** Planicies *Peruviana*, quam Hispani vocant *los Llanos*, initium sumit à valle *Tumbez*, per quam fluvius ejusdem nominis, in *Paltarum* provincia oriens, sese exonerat in mare Australe. Vallis autem atque provincia *Tumbezina*, aridiori atque infœcun-diori est solo, quia secus oram maris aliquot leucarum latitudine nunquam; ad radices autem montium, qui illum ob oriente prætexunt, raro admodum pluit: Nihilo minus olim & incolis frequens & bene fuit culta, aqua quæ per plurimos canales & aqueductus singulari industria & labore è fluvio derivatur, sata passim rigante; quo siebat, ut & copiosam *Mayzii* messem facerent, & omnibus rebus ad vitam humanam necessariis abundarent. Indigenæ vestibus utebantur, erantque industria, laborum tolerantes & longe cultiores quam ii qui montana incolebant. Peruviae monarchæ hic quondam arcem habuerunt & præsidium ad vicinos & præsertim *Puna* insulæ in-colas in officio continendos.

**Solana.** E valle *Tumbezina* bidui itinere transitur ad *Solanam*, per viam regiam quæ per plana dicitur, quæ vallis haud minus frequens & præclaris ædificiis fuit instructa.

**Poëchos** Solanam sequitur vallis, quam à fluvio *Poëchos* sive *Pocheos*, aut à Regulo sive *Curaca*, ut vocabant, qui illi, quum primum Hispani ingrederentur, imperabat, ap-<sup>30</sup>pellant *Mayabilcam*. Hanc *Augustinus de Zarate* triginta leucas à *Tumbezina* testatur abesse & olim longe frequentissimam & celeberrimam fuisse, plurimæ magnificen-tissimorum ædificiorum ruinæ hodieque faciunt fidem.

**Piura.** Ab hac bidui itinere distat *Piura*, latissima vallis ob aliquot amnum con-fluxum; in qua oppidum *S. Michaëlis* jacet, antiquissima & prima Hispanorum in Peruvia colonia; quam primum in *Tangaralam* deducetam accepimus, sed ob loci insalubritatem haud multo post huc traductam; pomerium urbis barbaris di-cebatur *Chila*, inter duas planas & amœnas valles & pulcherrimarum arborum lucos, in solo arido, duroque ita ut aqua difficulter in oppidum duci posset: neque tamén hic locus admodum salubris, sed oculis admodum infensus, æstate qui-dem, ob ariditatem soli pulverulentus, hyeme ob pluviarum assiduitatem supra mo-dum humidus. Cæterum oppidum nullis mœnibus cinctum est neque magni pretii: licet à Vicario regatur (*Corregidor Hispanis*) cui non modo hoc oppidum sed & *Païta* & multa alia loca, indigenis in ambitu habitata, parent. Oppidani & qui in agris degunt, quæstum faciunt è pecuaria. Ab hoc iter pertinet ad montana, quæ vocant *las Sierras*: itemque alterum unius & viginti leucarum ad *Olmos*; per solitu-dines & sylvarum adyta, ita ut indigenis ductoribus hic fidendum sit, qui itineran-tes ad aquas potabiles deducant, quarum hic magna est inopia, ut juxta somnos capiant. Abeat autem *Olmos* à *Païta* leucas quadraginta Indigenartum pagus, qui pe-cuariam exercent, & plures possident mulas, quibus advenas vehunt ad vicina op-pida atque adeo *Limam*. *Herrera* inter oppidum *S. Michaëlis* & Metropolim *Qui-tensem* edit intervallum centum & viginti leucarum, via à *Quito* versus Africum deflectente.

Sed antequam ulterius procedamus, quod supra diximus, in planis hisce & con-vallibus nunquam pluere, quomodo accipendum sit, è *Petro de Cieça paulo plenius explicemus*: In montana regione, quam Hispani vocant *las Sierras*, æstas capit exordium,

exordium , mense Aprili & desinit in Septembri : hyems autem durat ab Octobri in mensem Martium : In planicie vero quæ mari Australi adjacet , res secus se habet : nam ab Octobri ne guttulam quidem hic pluit , tantum decidit ros quidam ita minutus ut vix terræ superficiem humectet ; ita ut indigenæ magno labore agros cogantur irrigare ; maximam autem soli partem occupant steriles arenæ & arentes petræ , quas pumilæ aliquot arbores & fruticeta vestiunt , quæ paucas frondes , nullos autem fructus ferunt ; multi autem passim visuntur cardui atque tribuli . Hyeme autem , ut ipsis vocatur , cœlum continuo fere nubilis tegitur , quæ solis conspectum adimunt & ingentes nimbos videntur minari , quum vix tenuissimis guttis pulverem irrorent . Ab altissimorum montium vicinitate id fieri autumant , qui nubes attrahunt , & super planiciem prohibent discuti . Nam quum maxime pluit in montanis , planicies serenissimo cœlo gaudent & maxime fudo ; & contra quum planicies minutilo licet rore humectantur , in montanis plurimum serenat . Ingæ Veteres Peruviaæ Monarchæ per planicies itidem viam regiam duxerunt quindecim aut sedecim pedes latam , silicibus stratam & macerie utrimque munitam , arboribusque quantum soli ratio patitur adversus æstum solis tectam ; diversoriis & palatiis per intervalla , ut supra de montana regione retulimus , opportune structis .

Ad oppidi *S. Michaëlis* Diœcesin pertinet *Paita* , nobilis Peruviaæ portus , ad altitudinem quinque graduum Australium situs , ut *Herrera* notat , quibus alii paucula scrupula addunt , viginti quinque , vel ut alii tantum duodecim ab oppido leucis : itinere molestissimo per loca arenosa & aquarum atque adeo omnium rerum necessariarum indiga . Est autem amplissimus sinus & adversus incerta ventorum egregie à natura munitus ; naves quæ à *Guatemala* Peruviam petunt hic appellere & onera sua solent exponere , quæ opportunitas multos Hispanos allexit ut hic municipium condenserent . Quod superioribus annis iterata clade pene excisum fuit ; semel anno c15-  
I5 LXXXVII à *Thoma Candischio* Anglo qui incolis nequicquam repugnantibus locum cepit , qui tum ducentis ædibus cum suo prætorio constabat , arce quam moliebantur nondum absoluta : & cives qui ad vicinum montem configerant , non opinantes adortus , fugavit & viginti quinque argenti libras eripuit , descendensque totum oppidulum concremavit . Iterumque anno c15 I5 cxv à *Georgio Spilbergio* Belga , qui civibus omnibus , qui se cum fortunis suis omnibus in montan a subduxerant , vacuum ingressus , denuo ædes Vulcano tradidit : Qui nuper locum viderunt , asserunt paucos Hispanos hic habitare , qui annonam venalem habent , plurimos autem indigenas .

## C A P . XVI,

*Provincia de los Quixos , ejus limites , qualitates , oppida ; itemque Provincia quam vocant Canelam.*

**H**A CTE NUS propinquiores Oceano provincias perlustravimus , quæ tam ad planiciem quam ad montana intra limites Conventus Juridici *Quitenis* concluduntur ; nunc & remotiores dicendæ , quæ similiter ad hunc Conventum referuntur . Earum unam vocant Hispani *los Quixos* , anno demum c15 I5 LVII lustratam , postquam colonia Hispanorum in *Cuencam* (de qua supra) esset deducta : fines habet ab occidente provinciam *Quitensem* proprie dictam ; ab arcto *Popayanam* ; ab Oriente provincias , quæ ab auri copia , si fama verax est , vulgo *El Dorado* appellantur ; ab austro denique *Yquarsongo* provinciam de qua mox dicemus . Arctoo limite vix primum gradum citra Äquatorem versus Austrum attingit ; in longitudine quidem pene quadraginta , in latitudine vix viginti occupans leucas . Tota regio hujus provinciæ admodum fervet , & largissimis humectatur imbris : Mayzii fert paullum , nullum triticum : vix ullus Peruvianorum fructuum hic desideratur , quos autem vocant *Granadillas* tam præstantes producit , ut omnibus aliarum provinciarum præcellant . Europæi quoque fructus ipsi familiares esse cœperunt , uti & olera atque herbæ . Gossypii dives est , è quo optimos pannos texunt : nec auri penitus expers creditur . Suum habet præfectum , qui à Pro-Rege Peruviaæ instituitur . Quatuor omnino oppida hic habitantur ab Hispanis , quorum primum & præcipuum

cap. XIII.

Bæza.

Baëza. Baëza, anno 1515 ab Aegidio Ramires Davalos conditum, octodecim à Metropoli *Quittenſi* leucis versus Eurum, Praefectus provinciæ hic sedem habet.

Archidona. Secundum Archidona, distans circiter viginti leucas à Baëza versus Euro austrum.  
Avila. Tertium Avila, cuius distantiam non inveni proditam, abest autem ab Archidona versus septentriones.

Sevilla. Quartum denique Sevilla del Oro: licet Herrera in descriptione Indianorum illius non meminerit, neque in Tabula Geographica curaverit exprimendam.

Ad Episcopatum *Quittensem* pertinet hæc Provincia, illiusque indigenæ gnaviter Christianam religionem cœperunt colere: propriam habent linguam, licet & communi Peruviæ utantur, eamque calleant: cæterum à reliquis harum regionum bar. 10 baris neque habitu, neque moribus, neque superstitione quicquam olim differebant: verum magnam indigenarum partem, tum belli rabies, tum morbi extinxerunt. Nam quum primum Hispani provinciam ingrederentur, acriter armis illis restiterunt, ferociam suam, qua omnes hi transmontani barbari pollent, incassum ostentantes, dein domiti quum jugum impatienter ferrent, semel atque iterum rebellaverunt: jam vero perdomiti pacis consilia amplectuntur & agris colendis dant operam.

Canelas. Provinciae de los *Quixos* proxima est ad orientem provincia quam vocant *Canelam*, ab arborum copia (atque adeo integris illarum sylvis, quæ in multarum leucarum spatia patescunt) quas ob similitudinem quandam cum notissimo aromate, vocant *Canelas*. Est autem arbor oleæ magnitudine, folliculos quosdam cum suis floribus producens qui contusi ad aromatis illius odorem atque saporem nonnihil accidunt. *Monardes* describit hanc arborem in hunc modum: Arbores quæ *Canelam* ferunt, mediae sunt magnitudinis, & immortali coma præditæ, ut reliquæ Indicæ arbores, foliaque habent laurinis similia: fructus est parvo pileo sive petalo similis, ea latitudine qua nummus Hispanicus octo regalibus æstimatus, interdum etiam major, intrinsecus & extrinsecus ex purpura nigricans, interius lævis, foris asper, quibus margines crassitudine jam dictum nummum æquant, summitas vero longe superat & pediculo prædita est, unde ex arbore dependet: gustatus eandem saporis suavitatem & odoris fragrantiam habere deprehenditur, quam legitima canella ex orientali India allata, cum nonnulla astrictione conjunctam: arboris cortex qui crassus est, nullum canellæ spirat odorem aut refert saporem. An interior tenuiorque membrana simile quid obtineat, me latet. Hæc ille.

cap. xxv. Magna de Provinciae hujus opulentia in vicinis Peruviæ regionibus quondam fuit opinio; donec à *Gondisalvo Pizarro*, infelici illa in *Dorado* provincias expeditione longe secius deprehenderetur: nam præter ingentes illarum arborum sylvas & invios saltus, nullum opere precium hic inventum. Indigenæ enim omnium rerum indigi erant & bardo ingenio; habitabantque humiles casas & ruinosa tuguriola: Vicinarum provinciarum penitus ignari, ac ne suæ quidem satis scientes: hos tamen *Pizarrus* inaudita crudelitate, canibus suis dilacerandos objecit, & aliis tormentis misere excruciat, quia viam demonstrare non poterant, ac ne quidem novisse querebantur ad ditissimas illas regiones, quas Tyrannus ille jam spe devoravera. Sub Æquatore sita est provincia, appellaturque ab accolis gentili nomine *Zumaca*.

### C A P. XVII.

*Provincia populorum quos vocant Bracomoros, colonie Hispanorum  
in eadem, & de auri venis pauca.*

**A**d eundem Conventum Juridicum *Quittensem*, referuntur & aliæ mediterraneæ provinciæ, quas *Bracomororum* vel *Pacomororum* vocant, & nonnunquam *Tguarsongo*, ut plurimum autem *Iuan de Salinas*; sive una sit provincia sive plures & diversæ: fines autem habent ab occidente vastissima illa & continua Andium juga, quæ vocant *Cordilleram*, ultra quæ *Zamoram* quoque habitari diximus; à cuius agro provinciæ hæc absunt leucas viginti versus ortum. Patent autem in longitudinem, ortum inter atque occasum, leucas pene centum; totidemque in latitudinem

nem inter Arctum atque meridiem. Regiones & cœlo latè & solo fœcundo, omniumque frugum præsertim tritici feraci, pecori autem ob graminis copiam longe optimo. Abundant insuper auri metallis, in quibus grana insolitæ magnitudinis reperta, magno Hispanorum qui huc in colonias missi fuerunt emolumento. Quatuor autem oppida sive municipia hic ab illis habitantur, à *Ioanne de Salinis à Loyala*, dum hanc provinciam pro Præfecto administraret, condita.

Quorum primum *Vallodolid* ab *Antonio Herrera* ad septimum gradum Australem collocatur, viginti leucarum intervallo ab oppido *Loxa* trans vasta & pene contigua Andium juga: verum quum *Loxa* ad altitudinem quinque graduum sit constituta, & *Zamora* quoque pene ad eandem altitudinem viginti leucis à *Loxa*, Andes versus ortum transcendat, inducor ut credam *Herrera* hic *Loxam* pro *Zamora* scripsisse & oppidum *Vallodolid* viginti leucas versus ortum à *Zamora* abesse; in altitudine autem ipsum nonnihil hallucinari.

Secundum est *Loiola* & gentili nomine *Cumbinama* viginti leucis versus ortum à *Loiola*. *Vallodolid* situm.

Tertium *S. Iago de las Montanas* quinquaginta pene leucis à *Loyola* versus ortum, in regione auri ditissima, & quidem tam præstantis, ut ferunt, ut adjacentium provinciarum aurum longe supereret: & à solo *Caravaiano* in *Peruvia* & *Valdiviensi* in *Chili* supereretur.

20 Quarti nomen non proditur ab *Herrera*, neque in descriptione Indiarum, neque in Historia. *Acosta* in suis commentariis de rebus naturalibus & moralibus, mentione *Cartamæ aurifodinarum* in præfectura *de Salinas* & se grandes & durissimos lapides vidisse testatur, aureis venis per totum corpus discurrentibus, nonnullos & media sui parte aureos; juxta quas fodinas quartum municipium conditum suspicor.

Quia autem in hac auri metalla jam sæpius incidimus, haud absire fuerit hic commemorare, aurum fere tribus modis in America reperi; primo granis sive raimentis è puro putoque auro, nulla marmoris glarea aliave materie admixta, ita ut tantum illud fundere necesse sit; sunt autem ramenta illa ut plurimum magnitudine scemini cucumeris aut etiam cucurbitæ, nonnunquam minora, rarissime majora: atque 30 hoc auri genus omnium rarissimè invenitur. Secundò saxis, petris aut marmori annatum atque innatum & illustribus venis per eadem discurrens: atque hujus generis potissimum invenitur in provincia de qua jam agebamus, ut testatur *Acosta*, eruiturque summo labore puteis aut scrobibus in profundum actis; difficilimeque ob petrarum duritiem eliquatur. Tertium denique pulvere aureo & minutissimis arenulis, (*Oro en polvo* vocant Hispani) quod genus longe maxima copia invenitur in amnibus atque torrentibus, aut locis quæ flumina aliquando diluerunt atque inundarunt: qualibus amnibus atque locis & Insulæ & plurimæ Continentis provinciæ & olim abundarunt & hodie abundant. Plura de his *Acosta* lib. IV. Sed & veteres hoc observarunt uti videre est apud *Plinium*.

40

## C A P . XVIII .

*Ora maritima Quitoensis Provinciae, promontoria, sinus, portus, flumina & insule continentis objectæ, præsertim Puna.*

A D oram maritimam hujus Conventus Juridici *Quitoensis*, hæc promontoria, sinus & flumina recensentur. Ab Angulo *de Manglares* de quo superiori libro egimus, ad sinum *S. Iacobi* ora producit se versus Africum, admittitq; amplissimum sinum in quo primum se pandit recessus, vulgo *Ancon de Sardinas* quindecim à prædicto Angulo leuc. qui Popajanæ provinciæ extimus censemur.

50 Atque hic descendit in mare Australæ vastum flumen *S. Iacobi*, tam præruptis ripis ut navium proris vado hærentibus, sub puppis non raro octuaginta orgyrum altitudo deprehendatur: flumen enim rapidissimo cursu per ostium se evolvens arenas egerit in summam altitudinem; naves tamen nullo discrimine subeunt flumen. Paulo ulterius alter sinus se aperit *S. Mattheo* dedicatus ad altitudinem unius gradus ab *Æquatore* versus Arctum, cui in mediterraneis oppidum *Quitoense* pene respondet, ut *Herrera* observatum. *Richardus* autem *Hawkinus* Eques Anglus, scribit percom-

Vallodo-  
lid.

S. Iago.

1.4. c. 4.  
Civita-  
ma.S. Mat-  
thæo.

percommode h̄ic esse portum & fluvium satis profundum, utpote cuius undæ flu-  
ctu accidente ad quindecim aut sedecim pedes augeantur: Solum quod sinum am-  
bit fertile & indigenis frequens, qui tam auro quam Smaragdis dicuntur abundare;  
Hispani qui urbem *Guayaquil* incolunt huc coloniam deduxerant, indigenis haud in-  
vitis: qui mox insolentia advenarum pertæsi, conjuratione cum Mulato quodam  
clam inita, Christianos ex improviso adorti, trucidarunt, duobus tantum exceptis,  
qui maximo periculo ad oppidum *Quitense* profugerunt. Idem *Hawkinus* inter hunc  
*S. Matthæi* sinum & Promontorium *S. Francisci*, celebrat alterum sinum atque flu-  
men septem à dicto Promontorio leucis: Angulo sinus imminet collis qui à longin-  
quo intuentibus insula videtur: flumen quidem ingens, verum aquæ illius, in ipso 10  
ostio, ubi fluctus impletus, subamaræ deprehenduntur.

*S. Francisci* pro-  
mont.  
Passao.

A sinu *S. Matthæi* ad Promontorium *S. Francisci* ora tendit directe in occiden-  
tem, decem leucarum spacio: Promontorium autem ab edito colle & multis arbo-  
ribus vestito descendit in altum, uno gradu ab Äquatore versus Arctum.

*Quixi-  
mies.*

Passao.

A *S. Francisci* Promontorio ad alterum quod vulgo vocant *de Passao*, sub ipso  
pene Äquatore constitutum explicat se ora maritima versus Africum. Intermedio  
autem spacio, quatuor amnes erumpunt in mare, quos uno & communi nomine  
appellant *Quiximies*: *Didacus Fernandez* vocat Elyces, testaturque ad decem millia-  
ria in Continentem invadere, & regionem ita interdum opplere, ut inviam faciant.  
Sub Promontorio modicus se aperit portus vulgo Hispanis *El Portete*, ubi & aquare  
& ligna cädere licet peropportune, quum ita necesse est. Promontorium ipsum  
mediocriter elatum, pone quod *Quaque* montes sese ostentant, qui ad provinciam  
*Chumbo* producuntur: Hic uti & in *Quaque* montibus, *Franciscus Pizarrus* olim in-  
digenis eripuit magnam auri & Smaragdorum copiam, quum prima in Peruviam ex-  
peditione barbaros hosce inopinantes oppressisset. Octuaginta aut circiter leucis ab  
hoc Promontorio versus occidentem aliquot insulæ in Oceano sparguntur, quos  
Hispani vocant *de los Gallopavos*, desertæ & infœcundæ, ut memoria tradidit *Richar-  
dus Hawkinus*.

*cap. xi.*

A Promontorio *de Passaos* inclinat littus paulo magis versus Austrum, interme-  
dio spacio sinum admittens, quem vulgo vocant *los Caraques*, à populis de quibus 30  
supra egimus: percommode h̄ic navibus statio, & grandiores quoque & in siccum  
h̄ic subduci & refici possunt; facilis ingressus & egressus, ac licet insula quædam vel  
potius scopulus objaceat, tamen nihil h̄ic periculi, quod non & facile videri & vi-  
tari possit.

*la Plata.*

Quinque à *Portu Veteri* leucis secundum eundem littorum ductum, prominet  
Cornu *S. Laurentii*, cui versus Africum, trium leucarum intervallo, adjacet *la Plata*,  
parva Insula neque supra sesqui leucam ambitu complexa: in hac quondam fuit  
templum, *Guacam* vocabant sua lingua indigenæ, in quo etiam Continentis Indige-  
næ dæmonio sacra faciebant, & non modo oves sed & infantes suos immolabant: *Pi-  
zarrus* quum prima sua in Peruviam expeditione h̄ic forte appulisset, multum auri 40  
atque argenti, plurima monilia, magnum numerum vestium, qua lanearum qua  
gossypinarum h̄ic repperit, vicinarum gentium donaria: unde & nomen huic In-  
sulæ ab Hispanis impositum, nam *Plata* denotat illis argentum: cæterum ut à nostra-  
tibus anno 1515 1519 observatum, sterilis est insula & præter paucas aridas ar-  
busculas vix quicquam aliud exhibens.

*S. Hele-  
na.*

*I. 3. c. 17.*

A Promontorio *S. Laurentii* ad Cornu *S. Helena*, numerantur leucæ quindecim:  
intermedio autem spacio, duo signantur portus *Callo* & *Zallango*, peropportuni havi-  
gantibus, quippe & aquam h̄ic chaurire & ligna cädere percommode possunt & tu-  
tissimo in anchoris consistere. Cornu *S. Helena* prominet ad altitudinem duorum  
graduum Australium; & pone se aperit portum ad Septentriones, juxta quem puteus 50  
visitur, è quo bitumen effluit instar picis: *Acosta* meminit illius in hunc modum:  
Juxta Cornu *S. Helena* (inquit) scaturit fons bituminis, quod Peruviani vocant *Co-  
pey*, nautæ funes suos eo oblinunt uti & alia armamenta, est enim pici quoad usum  
perquam simile.

Barbati narrant mirabilia de Gigantibus qui haud longe ab hoc cornu olim ha-  
bitaverint & à juvēne de cœlo dilapo, simul omnes in quadam valle fuerint confecti  
& deleti:

& deleti: *Augustinus autem de Zarate*, reliquit scriptum in sua Peruvia historiæ; Præfectum Portus Veteris anno c. 1510 in hac valle scrobes agere jussisse, atque ita tum costas tum alia humani corporis ossa fuisse inventa ingentis magnitudinis & imprimis dentes tres digitos transversos latos, longos quatuor. Meminit & Petrus de Cieça, & Iosephus Acosta, aliique prolixæ autem *Garcilassii*.

l.9.c.9.

A Cornu S. Helena ad flumen *Tumbez* (tribus gradibus & triginta scrupulis ab Äquatore versus Austrum,) numerantur leucæ quinq; supra viginti, maximo sinu intermedio, in quem descendit flumen *Guayaquil*. Porro ab hoc flumine *Tumbezino* xii leucis versus Boream (ut *Augustinus de Zarate* annotavit) intra sinum prædictum, occurrit Insula *Puna*, ii gradibus & l scrupulis ab Äquatore versus Austrum, ut ab An-  
glis accuratè fuit observatum. Hæc, uti communis fert opinio, ambit leucas x aut xii (nam *Herrera* qui illi xx tribuit haud dubio fallitur) magnæ quondam apud omnes Continentis indigenas famæ, nam & omnibus rebus ad vitam humanam necessariis, abundabat, illiusque indigenæ & mercatores industria & bellatores audiebant strenui: cum vicinis suis *Tumbezini* olim maxima gesserunt bella, donec tandem à Peruvia Monarchis compónerentur; modicæ erant staturæ, colore fusco: tam mares quam foeminae vestiebantur pannis goffylinis, ornabantque se Chaquiris, aliisque monilibus. Porro Insula & sylvestrium arborum lucis opaca est, & fruticibus constata: Mayzii & Yucæ aliarumq; edulium radicum fœcunda: nemora plena omnis generis volucribus, præsertim psittacis, & Guacamayis; simiis quoq; vulpibus & aliis feris referta. Solum admodū liberaliter producit Zarzaparillam. Cæterum dulcium & potabilem aquarum penuria hîc laborari scribit *Herrera*, incolasq; tam aquandi, quam sementem faciendi gratia, ad proximam se conferre Continentem: à qua multis locis tantum angusto fretu dirimuntur: Portus tamen abest à Continente leucas circiter duas. Indigenæ jam amplectuntur religionem Christianam: & pleraq; náviga hîc fabricantur, quæ Mare Australe navigant; maximaque lignorum copia secundo flumine à *Guayaquil* descendens, subvehitur Limæ aliisque Peruvia portubus. *Thomas Candishius* anno c. 1510 lxxxvii hanc insulam ex improviso ingressus, ejusque compo factus, Regulo cum uxore atque familia, reliquisque pene incolis ad proximam Continentem dilapsis, eandem diripuit & concremavit pleraque domicilia. Reguli domus haud longè à portu splendidè erat structa, cum suis pergulis atque apothecis, in quibus multum picis, quamplurimi funes nautici è corticibus arborum contorti fuerunt inventi; juxta autem vulgarium indigenarum ædes visebantur circiter ducentæ, & templum cum sua turri & æneis campanulis: in medio Insulæ præterea habita-  
bantur duo pagi.

In patenti oceano alia cernitur Insula, quam Hispani vocant *S. Claram*, deserta S. Clara. plane & aquæ potabilis, lignorumque inops, in qua Punenses jam olim cadavera sua sepelire consueverant.

A flumine *Tumbez* (ut ad Continentem regrediamur) ad promontorium *Blancum*, ora pene in Austrum se subducit, leucis xv: Situm est autem hoc Promontorium ad altitudinem iv grad. Australium ut *Herrera* annotavit, aut iii grad. & xxx scrupul. ut *Cieça*. Ab hoc promontorio recta cursus in Austrum instituitur ad Insulam *de Lobos* in qua fons est eisdem bituminis, cuius ad S. Helena cornu meminimus. Inter utrumq; prominet alter Continentis angulus, nautis *Punta de Parina*, à quo littus ad Africuni reflectitur usque ad *Paytam*, quemadmodum ab *Herrera* & *Cieça* proditur; ut vero ab Anglis aliisque, ad Euro-Austrum: omnes autem collocant hunc portum ad altitudinem quinque graduum; distatque à dicto promontorio octo leucis aut paulo amplius: Nobilissimus est portus & omnium Peruvianorum usitatissimus. Ab hoc ad promontorium *del Aguja* vergit ora recte ad Austrum, aperitque in medio sinum in quo duo sunt portus vel forte stationes *Silla* & *Tangora*.

C. Blan-  
co.

Payta.

A promontorio deniq; duæ videntur Insulæ, quas vocant *de Lobos Marinos*, quarum una tantum iv leuc. intervallo à Continente dirimitur, altera à priori decem: utraque ut à *Richardo Hawkino* observatum ad altitudinem vi grad. & xxx scrupul. Sunt autem admodum steriles, neque arbusta producunt neque ullam herbam; a quarum potabilem penitus indigæ, à lupis tantum marinis & penguinis, aliisq; littoralibus avibus frequentantur. Hactenus ora maritima Conventus Juridici *Quitensis* pertinet.

## L I M A sive L O S R E Y E S.

## C A P . X I X .

*Conventus Iuridici Limani limites descripti, oppida enumerata & viaque Regia per plana ab oppido S. Michaëlis ad urbem Truxillo.*

**S**E CUNDUS Regni Peruviani Conventus Juridicus, nomen sortitur à Metropoli *Lima* vel *los Reyes*; pertingitque inter arctum & austrum à sexto latitudinis Australis gradu ad decimum sextum aut septimum: habetque in longitudine quidem secundum littorum ductum leucas ducentas & viginti, (quoniam alii trecentas prodant) à Promontorio *del Aguja* ubi *Quitenis* conventus definit, ad *Arequipam* & paulum ultra, ubi *Charcensis* orditur; In latitudine vero ab occasu in ortum quibusdam locis circiter centum, alibi etiam plures præter vastissimas regiones nondum satis illustratas aut cognitas, versus *Brasiliam* & *Fluminis de la Plata* Praefecturas, ad quas indefinitis limitibus se protendit. Oppida atque municipia in hoc conventu numerantur ista; *Lima* sive *Civitas Regum*, *Arnedo*, *Santa quæ* & *Parilla*, *Truxillum*, *Miraflores*, *S. Ioannes de la Frontera*, *S. Iacobus de los Valles*, *Leon de Guanuco*, *Guamanga*, *Cusco*, *S. Franciscus de la Vittoria*, *S. Ioannes del Oro*, *Arequipa*, *S. Michaël de la Ribera*, *Valuerde*, *Cannete* sive *Guasco*, *Castrovirreina* atque *Oonna*. Ut autem harum regionum situs melius intelligatur, descriptionem hujus Conventus Juridici à planicie ordiemur, & primo viam regiam per valles maritimæ ab oppido *S. Michaël* prosequemur.

*Augustinus de Zarate* in sua Peruviae Historia distinguit Planicie indigenas in tres nationes, *Tungas* nimirum, *Tassanes* atque *Mochichas*, qui idiomate inter se discrepant, licet omnes communem illam Cuscensem linguam promiscue intelligent & loquantur. *Garcilassus* autem scribit, Peruvianos suo idiomate omnes terras littorales, atque adeo universas terras calidas appellasse *Tunca*, quod idem nomen cum *Tunga*: unde incolæ planorum & calidarum vallium itidem dicebantur *Tunca* sive *Tunga*: omnes denique littorales Peruviani, antequam ab *Yngis* subjugarentur, inde à *Truxillo* ad *Tarapacam*, imprimis adorabant Mare, quod appellabant *Mamacocha*, uti & balenam, & alios quoque pisces: idque ob hanc causam, quod non modo ipsis nutrimentum præberent, sed & agros suos fœcundarent; usitatissimum enim illis erat piscibus agros suos stercorare.

**cap. xiii.** **Motupe.** Ab oppido *S. Michaël* ad vallem *Motupe* (in qua *Olmos* pagus situs est, de quo supra) duæ & viginti sunt leucæ, arenoso & permolesto itinere, præsertim qua nunc agitur: nam inter tumulos & colles, subsidunt quædam valles, in quas varii quidem torrentes à summis montium jugis descendunt, verum statim ab arenoso solo absorbentur, ut itinerantibus nullum aut per exiguum solatium præbeant: ut hæc viarum difficultas opportunius supereretur, plerumq; sub vesperam discedunt ex oppido *S. Michaël*, progrediunturque totam noctem, ut summo mane perveniant ad certos puteos sive scaturigines aquarum, *Cieça* appellat *los Xaguyes*: hinc cum utribus aqua plenis & lagenulis vino, procedunt, æstum quantum fieri potest devitantes: in Motupensi autem valle via regia occurrit, de qua ante. Lata & perfœcunda est vallis, ad quam modicus amnis ex vicinis montibus allabitur, sed absorbetur ab arenis antequam in Oceanum exeat: Nihilo tamen minus hic luxuriant arbores, ob copiam humiditatis quam in imo solo offendunt: incolæ autem hauriunt aquam è puteis; possidentque quamplurimas arbusculas quæ *gossypium* ferunt, quo non modo in amictu utuntur, sed & commercia exercent.

**Xayan-**  
**ca.** Quatuor à *Motupe* leucis, aditum pulcherrima & fœcundissima vallis *Xayanca*, quatuor leucas lata: hanc interfecat fluviolus, è quo incolæ fossas deducunt ad arva sua irriganda: Nobilitas Peruviana hic olim prædia multa possedit & coluit agros per suos servos.

**Tuque-**  
**me.** Ab hac transitur ad vallem *Tuqueme*, per amœnam & lucis arborum opacam, quam olim frequentissimam fuisse, villarum rudera hodieque testantur. Hinc diei itinere abest formosa vallis *Cinto*. Semel monendum est Lector inter has valles nihil

**Cinto.**

nihil interesse præter arenarum tumulos & aridas petras, in quibus nulla animantia occurunt, neque arbores neque quicquam herbidi, sed merum desertum, ita ut hac iter facientes, duces viarum gnaros sequi sit necesse.

A *Cintana* valle transitur ad *Colliquen*, quam fluvius secat, qui vado non potest collit transiri nisi quum æstas est in montanis, & hyems in planicie: lata est vallis & nemo quiescens, sed incolarum pene inops, quos Hispanorum civilia bella olim pene deleverunt. *Augustinus de Zarate* scribit hanc vallem ab oppido *S. Michaelis* abesse leucas quadranginta..

*Colliquen* sequitur *Sana* vel *Zana*, haud dissimilis vallis, à qua duo itinera pertinent; unum ad *Truxillo*, alterum ad montana & *Caxamalca*, in quo occurrit municipium quod vocant *Pueblo Novo*, habens monasterium Augustinianorum, quod vocatur *Guadalupe*.

*Zanam* sequitur *Pascamayo* omnium vallium fœcundissima & incolis longe frequentissima: indigenæ hujus vallis, antequam ab Ingis sub jugum mitterentur, potenterissimi erant, & vicinis suis terribiles: plura tempa construxerant, in quibus idolis suis immolabant, quæ jam penitus conciderunt: hodie complures sacerdotes & religiosi hic agunt, qui indigenas docent fundamenta religionis Christianæ. Pulcherrimus fluvius decurrit per hanc vallem, è quo incolæ varias fossas derivarunt ad agros suos irrigandos; per eandem & via Regia dicitur. Plurimi gossypini panni hictexuntur, & armenta hic capiunt magnum incrementum, sues autem & capræ longe maximum..

A *Pascamayo* ad *Chacamam* vallem transitur, fœcunditate haudquaquam inferiore: ubi & Sacchari cannæ excoluntur; aliisque fructus nascuntur abundè.

Quatuor à *Chacama* leucis aditut *Chimu* vel ut *Garcilassus* *Chimu*, amplissima vallis, & Peruviae Regibus quondam per chara, quod & Palatii rudera testantur & hortorum vestigia; urbs *Truxillo* hic hodie visitur. Hanc vallem primo subjugavit *Inga Pachacutec*, cui tum, uti & vicinis vallibus, princeps quidam imperabat *Chimu*, à cuius nomine principalis hæc vallis fuit appellata.

## C A P . XX.

30

*Municipium Miraflores, oppidum Truxillo, Parilla, Arnedo.*

**A**NTEQUAM Vallium descriptionem ulterius prosequamur, necessarium erit oppidorum, quæ in illis spæctantur, meminisse, ne quid forte inconsultò prætereamus.

Primum itaque oppidulum, quod in hac planicie ad Conventum Juridicum Limanum spectat, appellatur ab Hispanis *Miraflores*; conditum in valle *Zana* vel *Sana* (cujus nomine plerumque appellatur) haud procul à mari, & nonaginta quinque, (vel ut alii decem supra centum) leucis à Metropoli *Lima* versus Arctum: viginti à *Truxillo*: septuaginta à *Paita* versus meridiem. Municipium frequens & opulentum (prout accepi ab iis qui nuper viderunt) inter omnia quæ in planicie sita sunt: nascitur in agro illius multum tritici; etiam Sacchari cannæ: conficitur & *Anil*, sed inferioris notæ: Oppidum abest quinq; leucas ab oceano, ad quem portum habet *Chencopen*: intermedio autem intervallo, nemora sunt amœna, & plures villæ rusticæ: portus haud admodum est commodus aut ab incertis ventorū & tempestatibus tutus, sed fluctuans; quo sit ut naves in oneribus exponendis aut accipierendis diu multumq; laborent.

Proxima est urbs *Trugillo* vel *Truxillo*, in valle *Chimo* ad ripam modici amnis, è *Truxillo* quo Hispani atque indigenæ variis canalibus & fossis aquam derivant ad hortos suos & viridaria irriganda; & per aqueductus deducunt in ipsum oppidum. Ager suburbanus hujus urbis judicatur imprimis salubris; illustraturque undiquaq; multis prædiis rusticis, in quibus Hispani & pecuariam excent & sementem faciunt: Vineta hic admodum frequentia, multæ ficus, & granatorum, aurantiorum malorum, atq; adeo omnium fructuum Hispaniensium ingens abundantia: tritici uberrimæ messes: ita ut cives atque indigenæ abundant omni genere annonæ, & propter viciniam maris nunquam pene piscibus destituantur: Urbs sita est ad altitudinem vii grad. & xxx scrupul. crita Äquatorem versus Austrum; lxxx leucas à Metropoli *Lima*, ut tradit *Herrera*; in

planicie vallis exstructa, juxta petrosos atque aridos colliculos, plateis latis & contiguis ædificiis: barbari monticolæ descendunt tributum ad hanc urbem, ut civibus operam suam impendant & necessaria provideant. Inter præcipuas Peruviaæ urbes merito recensetur, & ut quidam tradunt, supra quingentas numerat domos; quatuor monasteria Dominicanorum, Franciscanorum atque Ordinis S. Augustini: Regii ministri hic habitant: in districtu illius habitant quinquaginta millia barbarorum vetigalium, ut censem Herrera. Saccharum quod in hisce regionibus conficitur in valle Chacama sive Chicama potissimum crescere docet Acosta: Portus denique quem vocant *el Arrecife de Trujillo*, abest ab urbe duas leucas, in sinu patenti & adversus incerta ventorum nequaquam præmunito; statio carinis malefida. Qui nuper oppidum hoc viderunt, insigne emporium esse testantur, & opulentum, ob agri suburbanæ & vallis imprimis Chichama insignem ubertatem: portumque illius vocari Guanchaco, distareque ab oppido leucas quatuor: habitari denique urbem à mille quingentis Hispanis, & plurimis indigenis atque nigritis.

Parilla.

Municipium *la Parilla*, quod & *Santa* dicitur à valle in qua situm est, distat à *Trujillo* viginti, vel ut alii viginti quinque leucas versus Austrum, & quinque supra quinquaginta, vel ut alii sexaginta à metropoli Lima versus Arctum; ad altitudinem novem graduum Australium secundum *Herreram*: jacet juxta mare, ad ripas pulcherrimi fluvii, & omnium qui hanc planiciem secant maximi, qui per opportunum navigantibus portū præbet, adeo ut hi qui has oras prætervehuntur, hinc aquare, ligna cædere, aliaq; 20 necessaria cōparare consueverint. *Olyverius à Noordt* Belga ex aliorū relatione prodit in suo itinerario, haud lôge ab hoc municipio argenti metalla nuper esse inventa. Qui nuper locum viderunt testantur, *Santam* amnem singulari artificio transiri, nasci enim hic arbores quæ fructus ferunt instar cucurbitarum, sed utrimq; compressos & orbiculares fere ad modum parvæ, quos indigenæ funibus trajiciant & inter se committant instar ratis: huic autem moli merces & impedimenta hominesque imponi, & à barbaris prænatantibus traduci, equis & jumentis juxta fluitantibus. Portum autem esse inter oppidum & amnem, in sinu adversus incerta ventorum satis munito. Agrum denique hujus oppidi fertilem esse longè optimi tritici, quod ut plurimum longe majori precio venundetur in oppido *Lima*, quam cæterarum convallium fruges. Oppidumque habitari à septuaginta aut circiter familiis Hispanorum, & multis indigenis atque nigritis.

Arnedo.

*Arnedo* municipium situm est in valle *Chancay*, novem aut decem leucis à Metropoli *Lima* versus Arctum, & dimidia ab Oceano Australi: dives est vinetis: Dominicani hic habent monasterium. Addunt qui nuper viderunt, numerare circiter centum familias Hispanorum & multas indigenarum: amnem habet adjunctum, ad cuius ripas multa jacent prædia rustica: plurimum Sacchari hic fit; nec vindemia illaudata.

## CAP. XXI.

40

*Viae, quæ per plana ab oppido Trujillo ad Limam ducit, reliqua.*

Guana-pe.

**A**b oppido *Trujillo* ad *Limam* à plurimis octuaginta numerantur leticæ. A valle nimirum *Chimo* ad *Guanapen* (quam *Garcilassus* vocat *Huanapu*) leucæ septem: nobilis fuit hæc vallis & indigenis olim frequentissima, & ob bonitatem potus (quem *Chicam* vocant suo idiomate) haud minus hinc celebris, quam Madrigal in Hispania ob præstantiam vini, quod in agro illius nascitur: Indigenæ jam ad summam paucitatem redacti. Portus hinc est amplius atque perdoneus, quem naves à *Panama* versus *Limam* tendentes solent ingredi, annonæ restaurandæ gratia.

*Guanapen* excipit alia vallis parva cujus nomen non proditur, in qua tantum putus visitur ad solarium itinerantium comparatus, cujus aquæ à fluvio subterlabente provenire credit vulgus.

Santa.

Hanc sequitur *Santa*, longissima & latissima vallis & indigenis olim frequentissima, qui nunc ad extremam paucitatem devenerunt, ita ut multi agri, colonorum inopia, inculti & vasti jaceant. Vestimentis jam olim utebantur, & vittis peculiaribus subligabant capillos, aliaque usurpabant capitum ornamenta, quibus à vicinis distinguabantur:

Bantur: fructuum hic magna abundantia tam peregrinorum, quam domesticorum; fecatur à pernici fluvio & satis lato, qui quum plusculum pluit in montanis, plurimum inflatur & cum discrimine atque non raro cum exitio tentatur, de quo supra.. Qui mare Australē navigant, plerumque hic appellunt aquandi gratia. Cæterum ob nemorum & vepretorum in hac valle densitatem, tanta hic mosquitorum (culicium id genus) gignitur copia, ut iter hac habentibus atque incolis sint molestissimi.

A Santa biduo itinere (vel ut alii sex leucarum) transitur ad vallem *Guambacho*, <sup>Guam-</sup>  
quæ amne modico irrigatur: ab hoc porro sesqui diei itinere ad *Guarmey* vallem (quam <sup>bacho.</sup>  
*Garcilassus* videtur vocare *Huallmi*:) fuit & hæc olim frequens indigenis, nunc tantum *mey*.

pecuariorum receptus, qui plurimos hīc porcos, paucissima armenta alunt: habitantq;  
pagum ejusdem nominis, juxta portum percommodū & multarum navium capacem;  
ad quem *Spilbergius* noster anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cxv, post Classem Pro-Regis Peruviae ab ipso  
profligatam, applicuit: observavitque eum distare ab Aequatore x gradus versus Au-  
strum, sic satis illum commendans, licet nostri aquas è stagno haurire fuerint coacti:  
incolæ omnes cū suppelleatile se subduxerant; hic visuntur rudera cuiusdam castelli.

Sequitur deinceps vallis *Parmonga*, sive ut *Garcilassus* vocat *Parmunca*, quæ licet <sup>Parmon-</sup>  
præcedentibus omnino similis sit, tamen antehac nunquam videtur fuisse habitata si  
lucorum densitatem & agrorum vastitatem spectes: nihilq; illustre sortita est præter  
rudera magnifici Palatii vel potius castelli (& prout res barbarorum erant) etiam  
bene muniti, & interius eleganter picti: multa hīc atria atque sellas fuisse apparet è  
vestigiis ruderum: quæ nunc penitus conciderunt, & plurimis locis sunt suffossa ab  
Hispanis, qui in defunctorum monumentis & ejuscemodi ruderibus magnos credunt  
abscondi thesauros. Narrat *Garcilassus* vallē hanc, cum adjacentibus, imperio Cuscensi <sup>I. 6. c. 33.</sup>  
fuisse adjectas, ab *Inga Pachacute*, perdomito *Curaca Chimu*. Ingas autem imprimis  
magni fecisse vallem hanc *Parmuncam*, inque ea arcem condidisse, opere admirabili,  
ad memoriam victoriæ de præcipuis littoralium Regulorum partæ: quæ tamen  
jam diu penitus conciderit.

Duabus à *Parmonga* leucis, sequitur fluvius *Guaman*, sive ut *Garcilassus* effert *Hua-* <sup>Guamā.</sup>  
*man* (quæ vox barbaris notat accipitrem) qui descendit in mare Australē, per conval-  
30 lem ejusdem nominis, quam tamen Hispani nominant *la Barranca*, hic fluvius ita tur-  
get dum pluit in montanis, ferturque tam præcepis ut summa cum molestia & non  
levi discrimine transeatur & non paucis exitio fuerit.

A *Guaman* transitur ad *Gauram*; & per hanc ad *Limam* ut Pet. de Cieça scriptum reli- <sup>Gaura.</sup>  
quit, quem hīc potissimum sequuti sumus: Verum obliviscitur vallis *Chancay* in qua si- <sup>Chacay.</sup>  
tum est oppidum *Arnedo* quam inter *Gauram* & *Limam* medium esse oportet: nam *Gau-*  
*ram* octodecim intervallo abesse à *Lima*, prodit *Augustinus de Zarate* in sua Historia.  
Qui nuper hac iter habuerunt, testantur; post *Santam* sequi *Guambachi*; & mox *Cas-*  
*mam* inferiorem & superiorem, loca indigenis tantū culta; quæ vinum ferant, frugesq;  
& nutrient pecora. Hinc perveniri ad *Guarmey*, itinere xii leuc., per arenosos tumu-  
40 los, aridissimos, & vix quicquam herbidi sortitos: à *Guamey* ad *Barancam* iv esse leucas;  
inde iter esse ad *Parmongillam* amnem, juxta cuius ostium visitur mons editus & supra  
illius verticem ruinæ antiqui ædificii, hinc ad amnem *Barrancam*, qui distet xxiv leuc.  
à *Lima*: proximam esse *Gauram*, ubi optimæ sunt salinæ: in municipio autem habitare  
circiter centum familias Hispanorum, & longe plures indigenarum: Hīc sunt aliquot  
machinæ saccharo conficiendo aptæ. Distat à *Lima* leucas viginti. Sequuntur loca  
arenosa, planissima, & denique *Chancay* sive *Arnedo* novem leucas à *Lima*.

*Lima* vallis, omnium quæ inde à *Tumbez* hanc planiciem occupant, longe maxi-  
ma & latissima: quam *Garcilassus* etiam *Rimac* vocatam antiquitus scribit.

*Lima.*<sup>I. 6. c. 30.</sup>

Mira narrant, qui hīc diu habitarunt, de cœli bonitate, & soli ubertate atq; amœ-  
50 nitate; Temperiem enim aëris tantam esse, ut neque calor offendat, nec frigus sen-  
titatur, aut unquam foco sit opus ne quidem infantibus primum natis. Maximus æstus  
sentitur mensibus Decemb. Januar. Febr. & Martio, hæc vera ipsorum æstas, dies au-  
tem ipsis sunt longissimi mense Januario, & quidem quatuordecim horarum; brevissi-  
mus vix infra xii horas. Metunt triticum mensibus Decemb. & Jan. uvæ incipiunt  
formari circa festum Nativitatis, & maturantur mense Aprili, hoc enim mense vindemiæ  
habent. A mense autem Mayo ad exitum Septembri hyemem suam patiuntur;

qua sit ut cœlum plerumque sit nubilum, & Sol interdum non videatur integro quatriduo, & ros quidam cadat instar nebulæ, (*Garuam* vocari jam supra diximus) qui licet vix pulverem humectet, facit tamen ut colliculi, qui passim planiciem occupant, plurimum graminis producant, quo armenta & pecora mirum in modum saginantur: Atque hæc quidem tempestas longe jucundissima est; qua & oleæ & aliæ arboreæ fructiferæ fructus suos maturant; Platani, Paltæ, Lucumæ, & aliæ domesticæ plantæ juxta atque advenæ. Reperiuntur hic grandes (ut author meus loquitur) *Alfarfares*, id est, campi, in quibus nascitur herba quædam grossa & procedra, qua equi & jumenta nutriuntur, (nam paleæ nullus hic est usus;) ex quibus plurimi patritii faciunt summum questum. Omnes campi hujus vallis rigantur è tribus amnibus spacio sex leucarum, interfecanturque plurimis pulcherrimis fossis; ita ut hic plurima visantur prædia rustica & amoenissimæ villæ, horti & pomaria. In toto deniq; agro suburbano nulli reperiuntur angues, aliave venenosa animantia: tantummodo plures hic sunt culices. In hac valle plurimæ nascuntur cannæ Sacchari; ita ut Saccharum hic admodū vili veneat, nimirum aroba Hispanica viginti quatuor aut viginti octo regalibus. Magna quoque hic copia ficuum & uvarum passarum; denique omnis annona hic longe vilissima: nam aroba carnis bubulæ obesæ & optimæ venit sex regalibus, in montanis autem bos maximus quatuor pezis sive ducatis: ovis Limæ quidem decem, in montanis quatuor regalibus, & alia ad eundem modum. Pisces hic quoque viles & varii generis, longeque optimi; maxime ordinarii sunt quos Hispani vocant *Coruinas*, *Chitas* lingulacæ sive soleæ, rayæ, anchovæ, boniti & crustacei varii. Triticum in urbe admodum vile, venit enim Hanega, id est, modius decem aut duodecim regalibus; Mayzii idem pene est pretium.. Sed jam tempus est ut de ipsa urbe dicamus.

## C A P. XXII.

*Lima sive civitas Regum, Peruviae hodie Metropolis.*

**M**E<sup>TR</sup> O<sup>R</sup> O<sup>L</sup>I<sup>S</sup> hujus Conventus Juridici, atque adeo hodie totius *Peruviae*, appellatur ab Hispanis *Cuidad de los Reyes*, id est, civitas Regum, & plerumque vallis ipsius nomine in qua sita est, Lima. Distat ab Æquatore duodecim gradus & triginta (vel ut alii quadraginta) scrupul. versus Austrum: à Meridiano Toletano octuaginta & duos gradus versus occidentem. Urbs & magnitudine & magnificentia nulli Peruvianarum urbium secunda (nisi forte *Cusco* excipias.) Operæ pretium autem facturus videor, si illam paulo accuratius descripsero, prout accepi à quodam qui plures annos in illa vixit.

Urbs tota divisa est in regiones quadratas, centum & quadraginta passuum singulas, per quas ducuntur calles æqualis latitudinis, rectissimi omnes sine ullo flexu aut cubito; harum duæ & viginti quadraæ jacent inter ortum & occasum; quatuordecim inter Arctum & Austrum: ad arctum præterlabitur grandis fluvius, lapideo ponte satis valido stratus, quum Marchio *de Montes Claros* has provincias Pro-Rege administraret: Ad eandem plagam jacet & suburbium, *S. Lazaro* dicatum, itidem in quadras partitum: Ad orientem autem suburbium alterum in quo circiter octingentæ degunt familiæ indigenarum, qui & Hispanicam linguam percallent & opibus affluunt: Cingitur id vallo terreno, suasque habet portas; habetque collegium Jesuitarum satis opulentum; proprium habet legatum, cui cum aliquot suburbicariis pagis paret. In Civitate porro est Tribunal regium, constans ad minimum octo iudicibus, quatuor ministris quos vocant *Alcaldes de Corte*, duobus Advocatis Fisci; cæterisque ministris: Præsidet ut plurimum ipse Pro-Rex, qui & varios habet Secretarios: Percipit quotannis quadraginta millia pezorum sive ducatorum; & quoties ad portum Callao descendit, tria millia ad expensas itineris; si vero ad alias regni provincias proficiscatur, decem.. Præfecti prætorianorum stipendium annum sunt tria millia ducat. Præfecti portus; Auditorum; Tribunorum militum vocant *Mæstres de Campo*, totidem.. Munia hæc omnia, præter Auditores, mandat Pro-Rex quibus vult, & alia longe plura: inter quæ numerantur supra centum Vicarius, sive ut ipsi vocant *Corregimientos*; magno amicorum suorum & familiarium emolumento;

Iumento; sunt enim vicariatus, è quibus triennio, quo plerumque durant, centum millia ducatorum hauriri possunt: nec mirum quum ille quem sequor, sancte affirmet, se novissie Confessorem Pro-Regis, qui secum abduxerit tercentum millia ducatorum. Quid multa, innumera habet media Pro-Rex quibus & ipse rem faciat, & beneficis sit in suos. Habet & urbs suum Archiepiscopum, cuius annuus redditus accedit ad triginta millia ducatorum; plures prebendarios & Canonicos, quorum redditus annui sunt quinque aut sex millia; in summa omnes clerici opulentissimi sunt, ita ut hic Canonici sint qui possident trecenta millia ducatorum: Fide authoris mei refiero. Sed ad urbem redeamus. In medio habet aream majorem, ad cuius latus quod vergit versus Arctum, Palatium est extructum longe amplissimum, in quo & Pro-Rex Domicilium habet cum familia; & jus dicitur ab Auditoribus regiis; ibidem & *Gaza* regia custoditur. Ad orientale hujus areæ latus visitur domus Archiepiscopi & Ecclesia major facta ad normam Hispalensis: Ad Meridionale sunt officinæ variorum institutorum; ad occidentale denique, officinæ aliquot institutorum, & porticus scribarum publicorum; claudit prætorium Urbanum cum suo carcere: è regione armamentarii publici, in quo varia armorum genera, & largus belli apparatus reconduntur. In medio areæ pulcherrimus fons, aquas suas egerit in lapideum craterem. Porro ex hac Area ducuntur octo calles, qui omnes recta tendunt ad agros, ad singula latera bini, in hunc modum: primo callis qui secus prætorium Vrbanum & latus Palatii, itemque Armamentarium publicum dicit ad fluvium & pontem; nam inter pontem & Aream majorem, præter ipsum Palatium, interest tantum una quadra calle transverso à Palacio divisa: trans pontem transitur persuburbium *S. Lazari*, ad viam quidem regiam, declinando ad sinistram, quæ dicit per plurimos hortos & prædia ad alterum fluvium, ad cuius ripas jacet municipium *Caravillo* quatuor ab urbe leucis. Ad dexteram transitur ad arboretum, vocant *Alamedam*, & montem sive collem *S. Christophori* qui multis arboribus fructiferis consitus est in medio hujus suburbii, cum quatuor fontibus, & pluribus canalibus è fluvi derivatis, ad hortos & agros irrigandos; ab hoc pertinent octo ordines arborum ad monasterium fratrum discalceatorum, ad radicem collis supradicti; inter quod & fluvium via dicit ad Lurigancho Indigenarum pagum, unam ab urbe leucam, & pertendit ad montana usque per plurima prædia rustica. Secundus callis orditur ab area ad plagam orientalem, & ab ipso Palatio, & tendit ad macellum publicum, secus monasterium *S. Francisci* longe maximum, occupat enim cum suo horto duas quadras; & secundum illius parietes dicitur callis ad monasterium *S. Clæræ*, quod est monialium, & recta tendit ad suburbium Indigenarum versus Arctum; perducitque ad stagnum, sive pulcherrimum fontem: è quo per fistulas subterraneas sive aquæductus, aqua deducitur ad reliquos fontes civitatis, nam lymphæ illius longe limpidiores & salubriores sunt, quam fluvii; pergit porro hic callis per multa prædia ad vallem *S. Ynes* longe amoenissimam, quæ distat ab urbe quinque leucas. Tertius callis orditur à latere Palatii, & domus Archiepiscopalnis, & pergit recta ad areolam Inquisitionis ad quam visitur *Casa Charitatis*, quæ accipit puellas pauperulas & foeminas valetudinarias: atque inde ad areolam *S. Anne*, ad quam jacet cœnobium monialium discalceatarum, & Hospitale & parochialis Ecclesia *S. Anne*; In hoc Hospitali curantur indigenæ infirmi, habetque in annuo redditu triginta millia ducatorum: atque ita per alia loca, dicit ad viam regiam, quæ pertendit ad montana: de qua alibi dicemus. Quartus callis orditur ab area juxta Ecclesiam majorem, tenditque recta ad monasterium *de la Concepcion* longe maximum, & opulentam domum monialium: & porro ad Ecclesiam *S. Andreæ* & opulentum Hospitalis Hispanorum; & declinando ad sinistram quidem jungit se cum area *S. Anne*, & via regia ad montana; ad dextram vero per alium callem ad furna in quibus lateres flunt; qui deinde descendit ad viam Regiam quæ per planiciem ducta est: Sequendo autem callem principalem versus orientem, pervenitur ad locum ubi optimus pulvis tormentarius conficitur, distantem ab urbe quartam leucæ partem, & denique per multa prædia ad *Seneguillam*. Quintus callis secat latus meridionale areæ majoris, & per plateam institutorum qui pannos vendunt sive vestes, tendit recta ad meridiem, secus monasterium fratrum *de la Merced* & cœnobium *Incarnationis*, quod est monialium, occupatque

patque duas quadras; atque ita ad cœnobium novum Dominicanorum quos vocant recolectos; & desinit in viam Regiam quæ dicitur per plana; per hunc quoque descendit potest ad mare. Sextus callis orditur ab eodem latere, & post quadram institorum, in qua circiter quadraginta officinæ numerantur prætiosissimarum mercium, radit monasterium fratrum *de la Mercede*, parochiam *S. Didaci*, & Hospitalie convalescentium, ad quod ex Hospitali majori Hispani traducuntur ut ibidem hæreant donec laborem possint tolerare; pertenditque ad Magdalenam indigenarum pagum, dimidiā ab urbe leucam, & ad oram maris, quod ab hac plaga tantum tres quartas partes leucæ abest ab urbe. Septimus callis orditur à latere Areae majoris occidentali, & complectitur primo plures institorum officinas, deinde pergit ad Ecclesiam *de Monsecreate* (à qua aliis callis declinat ad meridiem, qui desinit in viam quæ dicit ad *Callao*) & deinceps per hortos ad fluvium. Octavus denique callis orditur ab Area majore secundum latus Prætorii urbani, & una quadra intermedia, pertingit ad monasterium Dominicanorum, omnium longe opulentissimum; cujus muros ab arcto lambit fluvius; ad quem descendit per hunc calle. Atque hi quidem sunt octo illi calles principales, quos ab Area majori ordiri diximus, sunt & alii, quos obiter attingemus. A monasterio *S. Francisci*, (de quo supra,) orditur callis qui pergit primo ad Collegium Jesuitarum, quos hīc vocant *Theatinos*, longe opulentissimum: pone quod alter callis dicit ad *S. Martinum*, alterum eorundem collegium, in quo sunt circiter quingenti collegiales, maximam partem filii magnaturum hujus regni, qui ab ipsis instituuntur. Deinceps ad Trinitatem monialium cœnobium; ad domum orphanorum; & tertium collegium Sociorum Jesu, itidem locuples: porro ad nostra *Sennora de Guadalupe* monasterium Franciscanorum; & hinc salit viaregia quæ per plana dicit recte ad Austrum, habens mare ad dexteram; hic jacent *Surco* & *Surquillo* duo Indigenarum pagi, unam atque alteram leucam ab urbe, secus mare, & pergit hæc via ad Pachacamam, in transitu inviens Jesuitarum prædium, ubi & Sacchari cannas plantarunt, & olivetum. Est & alter callis secus Collegium Theatinorum, per aliquot quadras mercatorum, tendens ad opulentum Conventum Augustinianorum, & *S. Sebastianum* parochiam divitem. Alii duo calles secundum parochiam *S. Didaci* recta descendant ad Callao, habentque in medio principalem parochiam *S. Marcelli*, & monasterium Augustinianorum recolectorum. In summa habet hæc urbs sex parochiales Ecclesiæ & alias plures; quindecim cœnobia monachorum, Societatis Jesu, & monialium; quatuor Hospitalia in usum infirmorum & pauperum. Per superiorem partem urbis sive ad orientem discurrunt duæ latæ fossæ, quæ molas agunt intra civitatem: è quibus canales derivantur per omnes civitatis quadras, ita ut vix ulla sit domus quæ non habeat suum aquæductum. Omnes domus habent atrium, & porticus, & pleræque hortos, qui per istos aquæductus rigantur. Attramen ædes ut plurimum tantum uno tabulato sunt substructæ, ob materiei vitium, quæ hīc pauculos annos durare dicitur & cito à carie corrupti; parietes fere è trabibus aut tignis asseribusque compacti, & limo vel luto constipati; tecta constant è rudibus tignis, quæ pictis linteaminibus inducunt, satis valido adversus aërem, quum nunquam hic pluat, remedio.

Opulentissima haud dubio est civitas, utpote & Regalis Cancellariæ sedes, & Pro-Regin aula, & Archiepiscopi & reliorum regiorum ministrorum domicilium: Eadem & Australis Americæ Emporium, atque adeo maris Meridionalis pene unicum: huc quippe omnis auri argenteique gaza è vicinis Peruviæ & Chiles regionibus conductitur; huc omnes pene Europeæ merces à Panamensi oppido & aliunde subvehuntur; eadem & Novæ Hispaniæ merces accipit; ita ut quotidie maximus mercatorum numerus confluat, & officinæ institorum omnigenis mercibus ad miraculum abundant. Hinc omnis auri atque argenti gaza semel ut plurimum quotannis ad Panamensem portum traducitur, quæ non raro plures aureorum myriades exceedit. Tota autem urbs aperta est, nullo muro aut vallo cincta, nullis excubiis noctu aut interdiu aut ullo præsidio firmata, tantum in ambitu plures sunt horti, qui aggere terreo concluduntur. Oppidani gentis Hispanicæ, qua mares qua fœminæ, omnis ætatis, non dicuntur excedere quinque millia: quum Nigritarum tam in urbe quam in vicino agro quadraginta millia dicantur numerari, utriusq; sextus & omnium ætatum;

quos

quos Hispani plurimum omnino inermes tenent, quia metuunt ne quid hostile in ipsis moliantur. Militum in civitate perparum est; nam præter duas turmas equitum, quarum una lanceis, altera bombardis militat, quæ stipendum à Rege accipiunt; & Pro-Regem quum extra urbem procedit, comitantur: octo ut plurimum sunt vexilla peditum, quæ è numero honestiorum civium collecta, nulla stipendia merent; quæque singula constant centum & quinquaginta viris: & sexcenti equites utrius in armis parum exercitati. Urbanus Magistratus constat viginti quatuor viris, ex ordine eorum qui census & ministeria Indigenarum possident, & magnis opibus pollent.

## C A P . XXIII.

*Portus civitatis Limæ qui dicitur Callao.*

**P**ORTUS civitatis Regum, appellatur *Callao*; distat ab ea circiter duas leucas; accolunt circiter sexcentæ familie Hispanorum & aliquot nigritatum atq; indigenarum; maximam partem nautæ, aut qui in mari questum faciunt: municipium extenditur in longitudinem secundum littus, habens diversos calles, quorum ii qui tendunt versus urbem sunt breviores: est monasterium hic unum atque alterum monachorum & domus patrum Societatis Jesu. Ædificia quæ ad oram spectant, sunt fere cellæ & penaria, quibus vina, tabaccum, pix, funesque & alia conduntur; itemque apothecæ, quibus recipiuntur merces omnes, quæ ex Europa, Nova Hispania, aliisque orbis partibus afferuntur; quæque sine intermissione pene, ad urbem subvehuntur, carris, rheldis, atque jumentis: quorum quotidie iter hoc plenum videre est: neque ullum facile in toto orbe iter reperias, per quod eundo & redeundo, tanta gaza periclitetur. Dicitur autem totum hoc iter per hortos & prædia rustica, (quæ vocant hic *Chacaras*,) ita ut aquarum inopia nusquam laboretur; ad aditum urbis, ubi carcer visitur Nigritarum, quem vocant *Peralillo*, à quo deinde progredi licet, per omnes calles, qui allibuerint.

Portus ratio ita se habet: A Pachacama (de qua mox plura) extendit se ora ad pagum *Surco*, indigenis habitatum; ubi ora prærupta est instar muri, ita ut hic appelli aut exscendi non possit, inter medias tamen rupes exsiliunt dulces scaturigines: sequitur ad eandem oram *Surquillo*; & deinceps la *Magdalena* paulum à littore, & mox *Maranga* inter *Madalenam* & *Callao* (omnes hi sunt indigenarum pagi;) atque hinc prominet continens angusto veluti collo ad insulam *de Lobos*; quæ admittit angustum fretum, per quod liburnicæ & minora navigia quæ ab Austro adveniunt, in portum Limanum ingrediuntur; qui inde sese dilatat, cubito flexus intra continentem. Portus autem est securissimus & capacissimus, nullis brevibus aut rupibus contaminatus: grandiores autem onerariæ quæ ab Austro allabuntur, superant dictam insulam *de Lobos*, atque ita subeunt portum: à portu porro pergit ora ad ostium fluvii qui Limam præterlabitur, & juxta se producit in altum, sinum moliens: quinque leucas ab urbe, ad quem tantum Piscatores degunt. Ad hunc portum pertinent quadraginta qua majores qua minores naves; quarum tantum duæ, videlicet Ammiralia & Vice-Ammiralia (Hispani vocant Capitaneam & Almirantam) æneis tormentis solent esse instructæ, reliquæ pene inermes: & una triremis, quæ tantummodo carcer est facinorosorum & nigritarum. Municipium autem quod ad portum jacet, quod proprie dicitur *Callao*, nullis mœnibus diu fuit cinctum; sed postquam ab Anglis & nostratis infestari cœpit, nonnihil valli adjectum, & duo castella juxta ædificata & circiter triginta ænea tormenta disposita, ante ædes aut apothecas Regias; supra præruptum clivum, qui à fluctibus marinis valide pulsatur.

Franciscus enim *Dracus* anno 1579 hunc portum ingressus quum duodecim naves in anchoris stantes invenisset, & in una illarum opulentam argenti gazam, præter varias omnis generis merces; maximam partem diripuit, & naves incisis rudentibus oceano committens, cum suis se contulit ad portum *Paitæ*.

Porro insula quæ hic continentis objicitur inter arctum atque Austrum in longitudinem diducta, communiter vocatur *Insula de Callao* vel etiam *de Lima*; oblonga & angusta. Hanc nostrates adjerunt cum Classe Nassovia, cui præerat *Iacobus Eremita*

Eremita anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> c<sup>xxiv</sup>, triente Aprili, & in eadem se communiverunt: Est autem multis scopolis aspera & dulcium scaturiginum penitus expessum jugis tantum montium, reperitur herbæ cuiusdam copia, quam nostri adversus scorbutum sumebant, praesenti remedio: dum hic haerent nostri & non satis virium haberent ad urbem aggrediendam, tentarunt aliquoties municipium Callao capere, sed frustra: E quinquaginta tamen aut circiter navibus, quas in portu stantes repererant, supra triginta incenderunt: nonnullas & ipsi Hispani ardentes postero die in nostrorum classem impulerunt, nullo nostrorum damno. Notandum denique est portu hoc quotannis solvere mense Februario Classem, ipsi vocant la Armadilla, quæ petit Aticam; atque inde revertitur sub finem, ut plurimum, Martii mensis, auro argentoque onusta; quæ à Potosianis fodiinis, aliisque vicinis provinciis fuerunt deductæ: omnis autem gaza exponitur in portu Limano, & ducitur carris & jumentis ad civitatem: eodem pene tempore accurrunt mercatores ex omnibus Regni Peruviani partibus, & advehitur aurum atque argentum à Cusco & inter mediis provinciis, ita ut toto mense Aprili, ingens Thesaurus hic aggregetur: qui sub initium May altera classe ad Panamam destinatur. Atque hæc de urbe illiusque portu dicta sunt.

Unicum hic addam, omnem hanc oram valde obnoxiam esse terræ motibus; narrat author meus, anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> c<sup>ix</sup> mense Octobr. die xix sub vesperam, tam gravem accidisse Civitati Limæ, ut supra quingentas ædes prorueret, & pene omnes aliquo damno afficeret: anno autem c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> c<sup>v</sup>: xxvi Novemb. idem accidisse in oppido Yca: In Arica vero etiam mare se movisse in illum modum, ut subito fluctibus oppidum oppliceret, plures ædes prosterneret, & apothecas arenis & limo oppliceret. Narrant nostri se terræ motum sensisse in insula de Callao mense Junio.

## CAP. XXIV.

Pachacama vallis, cæteræque usque ad Guarcensem, & de municipio Cannete.

**R**EVERTIMUR jam ad Planorum descriptionem: Limanam vallem excipit celeberrima vallis *Pachacama*, distans à Metropoli, ut plerisque placet, 30 leucas quatuor: amoenitate & fœcunditate nulli secunda; in qua fuit templum illud, auro atque argento opulentissimum, è quo *Ferdinandus Pizarrus* supra nongenta millia ducatorum dicitur hausisse, præter ingentem gazam, quam aut milites ante abripuerant, aut Indigenarum sacerdotes ante Hispanorum adventum clam subduxerant; nam communis opinio est, barbaros immensum argenti pondus, & quantum quadringenti validi homines humeris ferre possent studiose occultasse; quamvis hactenus nihil horum fuerit inventum, licet Hispani miseros barbaros variis tormentis haud semel miserum in modum laceraverint, ut thesauros hosce revealarent: extant adhuc hodie ruderæ magnifici hujus ædificii, quod olim templum fuit 1.6. c. 30. Conditoris universi, ut scribit *Garcilassus*, non autem Solis, ut alii fuerunt opinati. 40

**C**hilca. *Pachacamam* excipit *Chilca* vallis, quæ licet neque unquam pluviis humectetur, aut ullo amne aut torrente rigetur, tamen Mayzio & edilibus radicibus admodum est fertilis & fructiferis arboribus haud infœcunda: idque singulari indigenarum industria ac labore; qui altas scrobes agunt, in iisque faciunt fermentem; ut autem Mayzium lætius germinet, Sardarum (piscium id genus, quod proximum mare infinita pene copia subministrat) capita profimo scrobibus indunt, usi & experientia edocti id fœcunditati plurimum addere. Incolæ autem ex altissimis puteis aquam hauriunt ad potandum. Ingæ Peruviae monarchæ hic quoque Palatum, horrea & hortos habuerunt, & magnam annonæ vim congestam. Distat decem leucas ab urbe Lima, sex à *Pachacama*; habetque pagum indigenarum, qui gnaviter agris collendis dant operam.

**Mala.** *Chilca* trium leucarum intervallo proxima est *Mala* vel *Malla* vallis, quam dividit modicus amnis, & opacæ sylvæ pene totam obsident. *Acosta* in suis commentariis mirabile quiddam commemorat de hac valle. In *Mala* (inquit) tredecim leucis à Civitate Regum ficus arbor visitur, quæ ab uno quidem latere, quo Austrum & montanam regionem adspicit, germinat & fructus producit, iis mensibus quibus æstas

æstas est in montanis , ab altero latere vero contra , iis mensibus qui æstivi in planicie indicantur : miro naturæ alternantis in tam exiguo intervallo & in una arbore indicio : quanquam alii de pluribus hoc afferant.

Quirique porro leucis à valle *Mala*, aditum *Guarco* vel ut *Garcilassus Huarco*, vallis *Guarco*. non minus in illis partibus celebris , quam præcedentes : maxima enim & latissima est , arboribusque plena , imprimis benevolentibus , delicatissimis *Guayavis* & longe pluribus *Guavis*. Solum tritici & Mayzii egregie est fera , & reliquorum quæ seruntur admodum benigne patiens. Ingæ veteres Peruviæ Monarchæ , hic sumtuosissimam & longe munitissimam arcem , ingentibus quadratis saxis substruxerant 10 super editum collem , qui convalli imminet , cum suis atriis atque vestibulis : à summa arce descendunt ad mare gradus lapidei , ita ut fluctibus marinis verberarentur , ita ut mirum videatur , quo pacto ista moles primum jacta fuerit. Palatum elegans tissimis sculpturis , pro barbarorum captu , erat ornatum , & ingens Regum Thesaurus hic custodiebatur ; auget autem admirationem , quod tam vasta faxa , sine ulla calce aut cemento ita sint coagmentata , ut juncturæ vix conspiciantur ; licet autem hæc moles ævo jam concesserit , tamen vel ipsa rudera , magnificentiam operis hodieque satis demonstrant. Meminerunt illius plerique scriptores , & imprimis *Garcilassus* , qui narrat , temporibus Ingæ *Pachacutec* , hanc vallem cum *Chilca* & *Mala* , ereptam fuisse Principi in illis partibus potenti , cui nomen erat *Chuquimancu* , 20 & imperio *Cusensi* adjunctam : *Guarco* autem imprimis indigenis tum fuisse frequentem , ita ut circiter triginta millia incolarum numeraret : & adjunctas valles ad eundem pene modum ; nunc vel frequentissimam illarum (loquitur de suo ævo) vix duo millia numerare . Ingam autem ædificium hoc mirabile propter situm , exstruxisse in victoriæ suæ memoriam & tanquam trophyum erexit .

Cannete.

In hac valle hodie municipium ab Hispanis conditum , quod *Canneten* vel etiam antiquo nomine *Guarco* appellant ; viginti quinque leucis à Metropoli *Lima* versus Austrum ; sed qui autem leucam ab ipso Oceano Meridionali ; ager hujus municipii tam est fertilis frumenti , & quidem optimi tritici , ut pánis hic coctus plurimum celebretur ; & maxima optimæ farinæ copia hinc ad alias Australis Americae provincias naviis transvehatur . Qui nuper hunc locum viderunt , testantur oppidulum incoli à trecentis Hispanis , pluribus Indigenis & Nigritis ; ab hoc iter agi per oram maris ad diversorium *A sic* & inde ad *Malam* , ubi varia prædia rustica visuntur , quæ Limanos dominos agnoscunt .

## C A P . XX V .

*Via per plana Peruviæ secundum oram mariæ à Guarco ad Ycam*  
*municipium Valuerde & Castro Virreyna , oppidum.*

**D**UABUS ab Arce *Guarcense* leucis versus Austrum , descendit in Oceanum Australem insignis fluvius , quem , quemadmodum & adjunctam vallem , vulgo appellant *Lunaguanam* , nomine , uti *Acosta* indicat , à *Guana* Luna- tuato , quod barbarorum idiomate , maritimorum avium simum designat , qualem littora hæc legentes observant in objectis Continenti insulis & scopolis , magna copia , in tumulos & monticellos coacervatum , qui à barbaris traducitur in Continentem ad agros stercorandos ; utilissimam enim & opportunissimam hanc agrorum stercorationem docuit illos experientia , adeo ut valles hasce fecunditatem suam huic fimo debere vulgo fateantur . Author meus qui nuper has partes lustravit , monet fluvium hunc satis amplum esse , descendere autem è jugo *Pariacace* , sive è deserto ad illius radices , quod vocant *Punam* , quatuor leucis à Cannete ; vallem autem *Lunaguanam* , ad radices montium sitam esse , & optimis fructibus abundare , (præsertim uvis , Granatenibus malis atque cydoneis) qui cæteris omnino Peruanis fructibus palmam præcipiant ; unde & optimum vinum hic premitur : non minus tritici , Mayzii & Paparum radicum fecundum esse solum : habitatur à pluribus indigenis , & paucis Hispanis .

Ad ripas autem hujus fluvii , supra ostium , jacere terras incultas , ob aquarum inopiam , rupto aqueductu cuius beneficio olim rigabantur ; quæ tamen per se uberes sint ,

*Luna-**guana.*

l. 4. c. 37.

sint, & magnam tritici & aliarum frugum copiam ferre possent, si industria & labor incolarum accederet.

Sex deinde à *Lunaguana* leucis visitur *Chinca*, magna & amœna vallis, & tam famosa per totum Peruvia regnum, ut *Pizarrus* quum hasce provincias regio diplomatice sibi concedi impetrasset, limites præfectoræ suæ, *Tembo pilla* quidem sive *S. Iacobi* flumine ad Arctum, *Chinca* vero ad Austrum definiri postularet; licet nondum eousque tum penetrasset, sola nominitis fama permotus. Porro hæc vallis omnium littoriarum longe maxima est, arboribus opaca & imprimis fructiferis, tam domesticis, quam ex Hispania aut aliunde huc translatis: Tritici adhæc perfœcunda, vitiumque quas Hispani intulerunt perbenigne tolerans. Indigenarum numerum, civilium bellorum rabies & Hispanorum saevitia multum imminuit, ita ut jam ad summam paucitatem sint redacti. Plurima rudera hic visuntur antiquorum ædificiorum; multaque monumenta in quibus cadavera visuntur pene integra, & juxta illa multæ divitiæ consepultæ. Sribit *Garcilassus*, vallem hanc olim frequentem fuisse, & proprium habuisse *Curacam*, quem *Inga Capac Ypangu* domuit, & pro numine huic genti peculiari, quod vocabant *Chinca Camac*, solem adorare docuit, condito in hac valle sumtuosissimo Solis templo, & vestalibus illi adjunctis. Hic hodie pagus est indigenarum, ad quem à *Guanca Velica Hydrargyron* deducitur, hinc navibus ad Aricam subvehendum. Ager est campestris ita ut plurimæ pecudes hic nutriantur, & plurimum casei fiat. Distat à Cannete novem leucas ut testatur author meus, qui nuper vidit. Qui & hoc narrat, Indigenas Hispanorum adventum tantopere horruisse ut sponte se vivos sepelirent, & abderent in cavernis, cum sua suppellectile & pluriimo argento; quæ quotidie ab Hispanis eruantur incorruptæ.

*Yca.* A *Chinca* transitur ad *Ycam* vallem superioribus parem, tum soli ubertate, tum incolarum frequentia; secat illam fluvius amœno blandus alveo, (*Pisco* vocat *Herrera*) verum æstivis mensibus & quum in montanis non pluit, tenuior, ita ut indigenæ tum aquarum inopiam patiantur: ut autem huic incommodo obviam irent, superioribus seculis, indefesso labore, in agros suos derivaverant fossam sive aquæductum inde à montium radicibus, qui jam temporum injuria penitus est collapsus; cæterum fructiferis arboribus perfœcunda est vallis, & vini copia imprimis commendatur.

*1.4. c. 32. ab Acosta.* Secat medianam vallem fluvius è quo plurimæ & grandes fossæ derivantur, quæ vineas rigant; hic fluvius incipit intumescere & inflari mensis Decembri; neq; tam par est toti valli rigandæ, sed plurimi agri aquarum inopia manent inculti. Sunt in ea aliquot indigenarum pagi, uti *S. Joannes* & *S. Martinus*; plurimi quoque barbari habitant circum oppidum: de quo jam dicam.

*Valuer-de.* Deducta ab Hispanis colonia in hanc vallem, oppidum vocant *Valuerde*, à valle adjuncta ejus nominis longe amœnissima, quam ad sex leucas in longitudinem vineis plantatam tradunt, quæ generosissimum vinum maxima copia profundunt; sunt qui in hac valle quotannis quingenta millia botyarum (mensura est Hispanica æquans arobam unam liquidi, de qua alibi diximus) vini exprimi testentur. Oppidum est pulcherrimum & locuples; numerans circiter quingentos Hispanos, habet Ecclesiæ majorem, tria monasteria religiosorum, & Hospitale. Aër hic serenus & imprimis salubris; & solum expers omnium animantium venenatorum. Fœminæ Peruvia universæ formosissimæ prædicantur. Habet portum ad mare Australe sex ab urbe leucis, quem vocant *puerto Quemado*, ad quem vina deducuntur, ut navigiis ad alias provincias & *Limam* imprimis deducantur. Vindemia incidit in mensis Septemb. & Octobrem: mustum primo funditur in grandia vasæ, quæ vocant *Tinajas*, deinde transfunditur in utres; Utraque autem tam vasa, quam utres, fiunt in hac valle à Nigritis dextris in hac arte. Oppidum hoc habet Vicarium (vocant Corregidor) cui & Lanasca & Pisco parent: qui ab ipso Rege Hispaniarum constituitur; est enim magni emolumenti hic vicariatus, & imprimis opulentus. Distat oppidum à Metropoli *Lima*, ut *Herrera* tradit, triginta quinque leucis, ut alii, quinquaginta: à *Pisco* duodecim. In medio autem, ut ab idoneo authore accepi, harum duodecim leucarum, jacent quamplures *Mahamares*, id est, prata, cum aquis in usum jumentorum; mirabile autem, quum fluvius qui *Ycam* vallem fecat, intumescit, tunc aquas horum pratorum minui atque arescere; & contra quando fluvii alveus tenuior est, tunc

est, tunc aquas in hisce pratis abundare. Inter arenosa loca & aquarium indiga jacet *Villacuri*, alia vallis, quæ licet & ipsa aquarum inopia laboret tamen abundat vineis, & optimum fert vinum.. Fert quoque ficus; arborum autem ea est proprietas, ut medio anni spatio fructus ferant ad latus suum orientale, reliquo ad occidentale, quod supra de una tantum arbore retulimus ex *Acosta*. A *Villacuri* ad *Pisco* vel *Piscam*, numerant quatuor leucas: portus est ad mare Australe non incelebris, (qui versus *Puerto Quemado* de quo supra, habet Insulam de *Sangallam*, itemque alteram quam vocant *de Paxaros*;) & securissimus; stant naves in anchoris medium leucam à littore, nam quotidie sub vesperam perflant venti satis impetuosi à terra, quos hic vocant *Paracas*: oppidum juxta portum ejusdem nominis circiter quadringentos Hispanos numerare dicitur; habet monasterium Franciscanorum extra oppidum: pluresque apothecas ad oram maris, quibus vina aliisque merces recipiuntur. Oppidum quondam nullis mœnibus fuit cinctum, verum postquam Angli & nostri in Mare Australe cœperunt penetrare, murum duxerunt oppidani, securitati suæ consilentes, circiter quindecim pedes altum; uti à nostris fuit deprehensum anno cI cI cxxiv. Corregidor, ut vocant Hispani, *Valuerdes* sive *Yca* hic constituit qui suum teneat locum: habet & vallem adjunctam quæ ab amniculo rigatur, & vina fert præstantissima, & multo generosiora quam sunt *Ycensia*. Pertingit hæc vallis ad *Humay*, (quatuor leucarum distantia) municipium barbarorum, per quod *Humay*,  
20 iter dicitur ad *Chocolococham*, de qua mox dicemus, longe asperrium ut fere sunt omnia montana, viginti sex leucas à *Pisco*. Sed ad *Valuerden* redeamus: quatuor leucas ab oppido versus orientem, secus viam quæ dicit ad montana, aditur vallis *Tinges*, quæ licet neque amnem neque rivos habeat, atque ne pluviis quidem unquam humectetur, fert tamen ciceres omnium Peruvianorum longe optimos, & plurimum vini, aliosque fructus: plurimum quoque goffypii; ita ut à frequentibus indigenis habitetur, quæ hic prædiola sua colunt: per hanc vallem transit via ad montana, & quidem primo ad pagum sive municipium *Cordubam*; à quo transitur ad *Lucanes*, provinciam indigenis habitatam; per quam iter habent, qui cum variis mercibus à *Lima* tendunt versus *Cusco*.  
30 Ab eadem urbe *Valuerde* pertinet iter ad *Guamangam*; ad *Chocolococham*; & *Guancabelicam*, & reflectitur ad vallem *Xauxam* & alias, nam vina *Ycana* pene ad omnes provincias montanas traducuntur.

## C A P . XXV.

*Chocolococha sive Castro Virreyna & reliquæ valles ab Yca ad Tarapacam & oppida aut municipia in eisdem sita.*

40 **P**AU 1 O ante diximus *Chocolococham*, quæ ab Hispanis vocatur *Castro Virreyna*, oppidum recentius, distare à *Pisco* leucas sex & viginti itinere asperrimo, versus ortum: idem ut plerique tradunt, abest à Metropoli *Lima* sexaginta leucas & à *Guancabelica* quatuordecim versus Meridiem.. Celeberrimum est oppidum in hisce partibus ob magnam copiam absolutissimi argenti, quod eruitur è fodinis, quæ absunt ab oppido circiter duas leucas; sitæ autem sunt fodinæ istæ in jugo aridi montis sive punæ, jugiter nivibus tectæ, & supra modum frigidæ, ita ut omnes alias Peruviae punas nimio suo frigore dicatur anteire: regio nihilo secius saluberrima est, & ab omnibus venenatis animantibus immunis, quæque indigenas nutrit imprimis proceros & robustos: foeminæ Hispanicæ hic parere detrectant, ob nimium algorem, itaque prægnantes & partui propinquæ descendunt ad plana: 50 ob easdem causas & solum paucas alit arbores: labitur juxta oppidum exiguus amnis, qui tamen molas agit quibus metallum tundunt franguntque: est autem vena saxeæ, quæ maxime commendatur colore cœruleo obscuero, aut candido subfuscō: ista saxa conjiciunt in furnos, uruntque *Ycho*, (quod est grammis quoddam genus oblongum, & ductile, quo in hisce regionibus ædium tecta solent concinna-re:) adusta molunt tunduntque in pulverem; quem vasis induunt, diluuntque aqua & hydrargyro; quod argentum attrahit & cogit in massam, scoreis intactis; (è quibus  
F f tamen

ramen & quæstum facere norunt nonnulli; ex iis conficientes metalli quoddam genus quod vocant *Negrillo*:) deinceps argentum vivum igne separant ab argento; quod denique fundunt in laminas, quas vocant *Barras*: ex deinceps feruntur ad exploratores regios, qui tributo regio prius recepto, imprimunt notas quibus & argenti qualitas, & annus & numerus laminarum exprimitur. Observandum autem fodinas hæc argenti minus fœcundas esse, quare Rex Hispaniarum hic tantum recipit decimas: attamen argentum longe absolutissimum generare, ita ut singulæ marcæ octo unciam, æstimentur duobus millibus, trecentis & octuaginta maravedisiis: & quotannis edere circiter nongentas *Barras*, argenti decimatis; præter illud quod clam subducitur aut ab argentariis usurpatum ad omnis generis vasa. Habet hoc oppidum suum Præfectum, qui maximas divitias hic valet coacervare. In oppido sunt plurimæ officinæ institorum; & vini cellaria, quod à planis huc adducitur, & (quod mireris) ibi etiam vulgare, hic evadit generosum, & optimum: est enim saluberrima & amoenissima cœli facies, ita ut etiam boves mactatos quam diutissime conservent in corruptos sine ullo salis adminiculo. Ab hoc oppido pertinent calles ad *Piscum* & *Chincham* atque *Ycam*: itemque ad *Guamangam* per Regiam viam montensem: præcipue autem ad *Guancavelicam*; transeunt autem inter tres lacus, altissimos & terribiles; quorum singuli pene leucam unam sunt longi; atque inde tendunt ad molendinum argenti: & rursus secus magnum lacum, & per nivales montes, & tam tremendos ut vix universus orbis similes habeat; hi montes jungunt se cum *Pariacacca* (de qua alibi.) & mox per cœnosam paludem, ubi difficile est rectum trâmitum invenire; & per invios montes & vallem in qua plurimi guaci pascuntur, pervenitur ad *Guancavelicam*. Invenio ab aliis annetatum inter *Sangallam* & *Cuscense* oppidum intercessæ vastissima illa montium juga quæ vulgo ab Hispanis appellantur *la Sierra de Guaytara*, quæ ingens terræ spaciū occupare necesse est, si *Herrera* recte admonuit, haud supra quatuor leucas à *Lima* abesse. Sed ad valles littoralias regrediamur.

*Tensem* vallem excipiunt nobilissimæ & amœnissimæ valles, & limpidi amnes; vocant *Lanasca*, sive ut *Garcilassus*, *Nanasca*, (qui hanc vallem ab *Inca Capac Yupanqui* imperio *Cuscensi* adjunctam narrat;) infinito pene quondam incolarum numero celebres, quos Hispanorum seditiones & bella civilia penitus deleverunt. In una harum vallium, quæ peculiari nomine dicebatur *Caxanulca*, Ingæ quondam habuerunt stupenda ædificia & largam annonam in omnes usus sepositam: hodie excoluntur in hisce vallis plurimæ Sacchari cannæ ab Hispanis, ita ut interdum annuus optimi Sacchari proventus, teste *Acosta*, ad triginta millia ducatorum ascenda, quod mirum in tanta Sacchari vilitate, quam supra indicavimus. *Augustinus de Zarate* scribit has valles distare ab urbe *Lima* quinquaginta leucas. Portum habent ad mare Australe, quem vocant *s. Nocalaum*, à quo ad principalem vallem & Villacurin leucæ numerantur octodecim. Per has uti & cæteros dicitur Regia via jam sæpius à nobis nominata; visunturque locis arenosis & impeditis adhuc vestigia columnarum, quæ rectam semitam demonstrabant.

Atque ut hinc paulum digrediamur, ultra hanc vallem secundum viam quæ per montana dicit ad *Cusco*, habitant *Lucanes* populi, à quibus transitur ad provinciam *Parina cocham*, sive ut *Garcilassus* effert, *Parihuana cocham*, (id nomen sonat paludem volucrum quas Hispani vocant Flamencos;) grandem, fœcundam, & aurivitam.

Ab hac autem per vastas solitudines, & nivosos colles ad *Aymaraum* provinciam: inde ad *Totoram*; à *Totora* ad regionem *Cumbibilcarum*, atque ita ad *Acham* super fluvium *Apurima*, uti observat *Herrera*. Invenio autem apud *Garcilassum*, *Incac* ponte strato super *Apurimam*, transisse in provinciam ut ille loquitur *Cumpivilcarum* ad occidentem ab urbe *Cusco*, viginti leucas longam & decem latam. Hinc per desertum & paludem, locaque uliginosa, sedecim leucarum itinere, promovisse ad *Allcam*; atque ita porro ad grandes provincias *Taurismam*, *Cotahuaci*, *Pumatampu*, *Parihuana cocham*: Ab hac per solitudinem *Coropuna* transisse ad provinciam *Arunni*, & porro *Collahuam* quæ fines vallis *Arequepæ* attingit, de qua statim.

*La Nascam* excipit vallis *Hacari*, septuaginta leucas ab urbe *Lima*, ut *Didacus Fer-* *Hacari*.  
*nandez* numerat: *Garcilassus* scribit, Ingam à *Guallaripa* (famoso monte ob copiam  
auti quæ ex illo fuit eruta) per solitudinem quinque supra triginta leucas latam, de-  
scendisse in hanc vallem, grandem, fertilem, & tum indigenis valde frequentem.

*Hacarin* sequitur *Oconna*, sive ut *Garcilassus* vocat *Vvinna*; inde *Camanam* & *Quilca* *Oconna*.  
*valles* quæ suos habent amnes, & olim fuerunt populosissimæ, nunc ob causas fæpe *Camanam*.  
*jam* dictas pene *desertæ*. *Quilca*.

In *Camanam* autem vallem colonia deducta fuit, *S. Michaëlis de Ribera* nomine, *S. Mi-*  
*centum* & *tredecim* leucas ab urbe *Lima*, versus *Austrum*: duas & viginti ab *Are-*  
*quipa* versus *Arctum*, pertinet ad Episcopatum *Cusensem*. Ager illius sicnum, vini,  
& frugum fœcundus.

*Arequipa* oppidum conditum est in valle *Quilca*: distat ab urbe *Lima* secundum *Arequi-*  
*Petrum de Cieça* leucas centum & viginti; secundum *August. de Zarate & Herreram* <sup>p. a.</sup>  
in descriptione Indiarum, centum & triginta; à *Cusco* septuaginta aut octuaginta:  
(quod iter dum res *Ingarum* starent pisces inde à mari subvehebantur, brevissimo  
tempore, quum per totum hoc spacium barbaris consistentibus, tantum veluti per  
manus traderentur, ut narrant Hispani) à mari denique Australi duodecim aut qua-  
tuordecim: agri bonitate & aëris temperie atque salubritate nulli Peruvianorum op-  
pidorum concedens: nam & tritici perfertile est solum & optimi viniferax: portum  
habet ad *Chilæ* fluvii ostium, quod secus oppidum descendit, ita ut mercibus Euro-  
pæis & quæ è vicinis provinciis petuntur ut plurimum abundet. Distat autem ab  
argentifodinis Potosianis centum & quinquaginta leucas difficile atque impedito  
itinere; nihil tamen secius olim omnis gaza per hoc oppidum deducebatur ad  
mare, uti hodie longe compendiosore via ad *Aricam*. Haud procul ab oppido visi-  
tur *Vulcanus*, de quo mira narrantur: Estque ager hujus oppidi, (ut & omnis pla-  
nicies quod jam monuimus,) valde obnoxius terræmotibus ita ut anno *c. 1515 LXXXII*  
oppidum horribili concussu pene concideret: Anno autem *c. 1515 c* flammivomus  
hic mons tantum pumicum & cinerum eructavit, ut pene per totam Peruviam fru-  
ctus omnes corrumperet, adeo late sese hunc cinerem dispersisse memorant: In agro  
suburbano vineæ ita fuerunt afflictæ ut quinquennio fructus suos negarent: murmur  
& horrendum boatum *Lime* auditum ferunt. Quid multa? ingens calamitas tunc ur-  
bem pluribus mensibus misere oppressit, quam prolixè describit *Ynca Garcilassus*. Ha-  
bet oppidum suum Episcopum, & Corregidorem: Denique Dicæcesis illius habet  
ab Arcto quidem *Hacarin* vallem, ab austro vero *Tarapacam*; ad orientem in provin-  
ciis *Condesuyo*, ut communis nomine ab Indigenis nominantur; complures pagos,  
quorum præcipui *Hubina*, *Chiqui-Guanita*, *Quimistaca*; & partem *Collaguarum* popu-  
lorum: fuerunt autem hæ provinciæ olim indigenis frequentes, nunc Hispanorum  
discordiis & bellicis expeditionibus mirum in modum exhaustæ: licet *Herrera* scri-  
bat in hac Dicæcesi quinquaginta millia barbarorum vectigalium numerari. Haud  
longe ab oppido juxta viam quæ dicit *Chuquitum*, jacet vallis *Moquegua* fertilis &  
amena. Denique juxta viam quæ ab oppido dicit ad *Collao*, duo visuntur lacus, è  
quorum uno *Apurimam* amnem effluere credunt.

*Quilcam* vallem sequitur *Chuli*; inde *Tambopalla* atque *Ylo*; denique ditissimæ  
valles *Tarapacæ*, plures enim hic & opulentæ argentifodinæ reperiri ferunt: Indige-  
næ valde pauci, qui piscibus capiendis ut plurimum vacant, iisque viçtant. *Garci-* <sup>1.7. c. 25.</sup>  
*lassus* has valles hoc ordine commemorat *Vvinnam*, *Camanam*, *Caravilli*, *Pictam*,  
*Quellcam*; dicitque valles istas in longitudinem, à montanis ad oram maritimam,  
ut plurimum extendi ad leucas viginti; in latitudinem vero haud amplius, quam  
fossis è fluviis derivatis rigari possunt; quod est pro fluviorum amplitudine nunc duas,  
nunc tres, plus minusve leucas; reperiri denique hic amnes, quos Indigenæ ita de-  
rivent, ut ad mare minime pertingant.

*Provinciae mediterraneæ; via regia per montana Peruviaæ à Guancabamba: provincia Chachapoja; & Moyobamba.*

**S**UPERIORIBUS capitibus Planiciem Peruviaæ secundum oræ maritimæ dum prosecuti ad extremos Conventus Juridici *Limani* limites, ad mediterraneas, & montanas provincias nos convertemus, facto initio à *Guancabamba*, ad quam viam regiam supra deduximus, quum de *Quiteni* Conventu pertractaremus: quæ porro sequuntur pertinent ad *Limatum* Conventum.

Caxa-  
malca.

A *Guancabamba* ad *Caxamalcam* sive *Cassamarca* leucæ numerantur quinquaginta; via autem intermedia non describitur à *Petro de Ciega*; neque ex prima *Pizarri* expeditione satis potest intelligi. *Pizzarus* enim cum exercitu movens ex oppido *S. Michaëlis* in valle *Piura*, trajecto flumine, primo intravit provinciam *Curacæ Pavoris*, inter amoenas & herbidas valles, à quibus bidui itinere aberat *Caxa*, vel ut *Garcilassus Cassa*; à *Caxa* autem unius diei itinere *Guancabamba*; interjacet fluvius multis pontibus stratus, viaque regia hac dicitur. Ille autem provinciis hisce ad lœvam relictis, è *Pavoris* provincia per desertum declinans ad pagum *Motux*, bidui itinere processit per frequentissimas valles, & postero die per arenosa & deserta loca pervenit ad fluvium: quo trajecto & tridui itinere per viam regiam, quæ per plana 20 dicitur, absoluto, deflexit ad sinistram, atque ita per montana magnis itineribus contendit ad *Caxamalcam*.

*Almagrus* in eundem pene modum à *Caxamalca* ad oppidum *S. Michaëlis* revertens, iter habuit per vallem *Xayanque*. Ut liquido pateat hos duces, maximam partem per plana Peruviaæ profectos. Plures autem provinciae montanæ intersunt inter *Guancabambam* & *Gaxamalcam*, quarum situs atque conditio, ex oppidi *Taen* & provinciarum *Chuquimayo* descriptione utcunque patuit.

cap. xiv.

*Caxamalca* provincia, ad quam pervenimus, longe maxima olim fuit & magni nominis dum res Ingaram starent; nunc etiam *Pizarri* victoria, & *Athualpa* postremi Peruviaæ Monarchæ, clade, carcere & suppicio nobilis. Ingæ etenim ha- 30 buerunt hic sumtuosissimum Palatum, cum magnificentissimo Solis templo, balneis, aliisque regiis ædificiis, quorum hodie tantum rudera visuntur; provincia autem hæc *Dicæcisi S. Michaëlis* fuit adjuncta. Ager supra modum fertilis, & tritici haud minus ferax quam Sicilia; pascuis abundans & armentis; Mayzii & radicum quibus barbari pro farre utuntur egregie tolerans, nullorumque fructuum quos hæc Americæ pars sponte producit, indigenis: uti nec variorum metallorum venæ hic desiderantur. Indigenæ placido sunt ingenio, industria & aulæorum, è lana ovium Peruvianarum, haud minus dextri textores, quam Belgæ. Municipium autem quod provinciæ nomen servat, ad radices montium situm est in patenti campo, qui à duabus amnibus secatur, super quos pontes strati sunt. Distat hæc pro- 40 vincia nonaginta leucas à *Lima* & totidem à *Truxillo*. Qui autem à *Caxamalca* per montana, ut vocant, petunt *Limam*, iis iter est per provinciam *Guaylas*, in qua pauci degunt Hispani; plurimi autem barbari, quibus sunt ingentes pecudum greges, è quarum lana, varia pannorum genera texunt. Vicariatus est (*Corregimiento*) imprimis utilis & locuples.

1.8.c.1.

Præter hanc provinciam *Caxamalcam*, alia via à Peruviaæ Regibus strata est ad *Chachapoyarum* regionem, de qua antequam progrediamur pauca dicenda. *Garcilassus* describens nobis expeditionem *Ingæ Tupac Yupanqui*, qui *Chachas* vel *Chachapuyas* primus subjugavit; scribit illum primò ingressum provinciam cuius indigenæ vocabantur *Huacrachuci*, inde penetrasse in *Chacharum* regionem, superato prius 50 asperrimo clivo *Pias*; & oppidum ejusdem nominis vacuum ingressos, diu hæsisce antequam transirent *Chirmac cassam*, nivosum per asperos montes aditum; cepisse postea *Cuntur marcam*, *Cassa marquillam*, *Papa marcam*, *Roymy pampam*, *Sutam*, *Llevantu* pagos principales, præter plurimos minores. A *Llevantu* autem *Ingam* misisse copias in *Muyupampam*, eamque imperio suo adjecisse, uti & *Cassayuncam* & *Guancabambam*.

In Cha-

In *Chachapoyarum* terra oppidum ab Hispanis est conditum, *S. Ioannis de la Frontera*, centum viginti leucis à Lima versus Boream: primum quidem loco aspero & inæquali superstructum, quem indigenæ appellabant *Llevanto*, postea autem ad commodiorem locum in provinciam *Guancarum* translatum: (ita *Herrera*, credo affinitate nominis deceptum pro *Chachis Guancas* dixisse, nam *Guancæ* incolunt *Xauxam* uti mox dicetur) pertinent autem ad Diœcesin hujus oppidi latissimæ *Chachapoyarum*, *Huacrachucorum* & *Cassaynæ* provinciæ: in quibus haud paucæ sunt auri fodinæ; ingens armentorum & pecudum copia, è quarum lanis incolæ optimos faciunt pannos.

10 In hac provincia nascitur maxima copia, Amygdalarum quoddam genus, de quibus ita *Acosta*; Amygdalas omnes atque adeo cæteros Americanæ fructus longe superant Amygdalæ *Chachapoyarum* (nam aliud nomen ipsis nequeo imponere:) delicatissimus est fructus, omnium quos unquam in America gustaverim, & doctissimi <sup>l. 4. c. 26</sup> Medici judicio omnes omnino tam Americanos quam Hispanienses fructus antecellens: Sunt autem Montensisibus sive Andinis paulo minores, Hispanicis autem maiores aut saltem crassiores, teneræ admodum atque molles, succi plenæ & suavissimæ: Arbor quæ has fert procera est & ramosa; fructus autem aculeato cortice testus instar castanearum, sed majore paulum & spinosiore, qui postquam aruerit facile se pandit.

20 Porro hæc provincia *Chachapoyarum* fines habet ad orientem sublimia Andium juga, ultra quæ ingens fluvius *Moyobamba*, vel ut *Garcilassus Muyupampa*, aliique minor ex hisce montibus orti, ad mediterranea decurrunt. Denique in hujus oppidi agro viginti millia barbarorum vestigium dicuntur habitare, gens magis industria & candiore fere colore quam reliqui Americani; fœminæ autem formosæ, ita ut superioribus seculis in concubinas Peruviæ monarchis submitterentur. Vicinæ provinciæ ad Orientem sunt *Longa*, *Charasmal*, & pagi *Gomora* & *Coxon*: ad aliam plagam provinciæ *Hasallao*, *Toncho* atque *Chillao*.

*Moyobambæ* indigenæ vicatim habitant, suntque ingenio obtusiore, & *Chancarum*, ut communis fert opinio, progenies. Hispani in hanc provinciam deduxerunt coloniam; municipio nomen *S. Iago de los Valles* vel etiam à provinciæ nomine *Moyobamba*, supra centum leucas ab urbe Lima versus Aquilonem: viginti quinque ab oppido *S. Ioannis de la Frontera*: in regione ob creberrimas pluvias quidem humida, sed pascuis lœta. Cæterum hæc provincia insalubrior judicatur ob amnum multitudinem, montium altitudinem & sylvarum pene inviam densitatem.

Moyo-  
bamba.

Inter utramque autem provinciam *Chachapoyam* & *Moyobambam*, interjacet altera quam Hispani vocant *los Motilones*, incolis infrequens, annonæ indiga, & multitudine intercurrentium amnum admodum impedita.

## C A P . XXVII.

40 *Via Regia per montana à Caxamalca ad Guanucum.*

AD *Caxamalcam* revertor, à qua ad *Xauxam* famosissimam totius Peruviæ vallem plures quam octuaginta leucæ numerantur. Ab extremis enim hujus provinciæ finibus ad *Guamachuco* vel *Huamachuco*, ut vocat *Garcilassus* à nomine *Curacæ* qui illi imperabat, antequam ab Inca *Capac Yapanqui* subjugaretur, Amplissimam vallem atq; indigenis olim frequentissimam, undecim leucarum iter est. Interjacet autem altera vallis per amena & fertilis, cuius nomen non proditur, quæ propter montes qui illam cingunt, fervidior existimatur: intersecat illam fluvius, cuius ripæ & tritici fertiles & vitibus, sicibus aliisque Europæis fructibus peropportunæ. Venteres Peruviæ monarchæ hic Palatum, horreaque construxerant, multaque arva in usum militaris annonæ seposuerant. Provinciæ *Guamachuco* incolæ neque lingua neque moribus quicquam differunt à *Caxamalcanis*, sed numerus illorum superioribus annis multum imminutus; cœlum magis frigidum quam calidum; Solum abunde subministrat omnia vitæ humanæ necessaria. Maxima Peruvianarum ovium copia hic quondam fuit, hodieque in montibus ingens *Guanacorum* & *Vicunnarum* vagatur multitudo. Ab hac provincia, alia via in eundem modum ab *Yngis* com-

Guama-  
chuco.

planata fuit quæ ad *Conchucorum* provinciam deflectit & in provincia *Bombon* demum cum priori se conjungit.

*Cochu-*  
*ci.* *Conchucorum* vel *Cunchucorum*, ut vocat *Garcilassus*, provincia abest bidui itinere à *Guamachuco*; indigenæ illius statura sunt modica, olim quidem frequentes, nunc Hispanorum vexationibus & crudelitate pene exhausti. Multa hic auri atque argenti metalla esse dicuntur; & Ingæ quidem juxta viam regiam hospitia, in medio autem Provinciæ habuerunt Palatum, quæ jam ævo concesserunt.

*Piscobā-*  
*ba.* A *Conchucis* ad *Piscobambam* vel *Piscopampam*, ut vocat *Garcilassus*, septemdecim sunt leucæ, indigenæ hujus provinciæ sunt moribus bene compositis & amantes Christianorum: ager illorum fertilis, omni genere frugum & fructuum abundans. 10

*Guaraz.* A *Piscobamba* ad *Guaraz*, vel ut *Garcilassus* vocat, *Hharaz* sunt octo leucæ; provincia hæc est montosa, adeoque aspera, ut mirum sit quomodo hic viam regiam potuerint moliri: indigenæ duri & laborum patientes; ita ut ne à metallicis quidem abhorreant. Arcis quadratae vestigia hic videntur, è saxis satis eleganter pro barbarorum captu exstructæ.

*Pincos.* A *Guaraz* transitur ad *Pincos*, sive ut *Garcilassus*, *Pincu*; quam provinciam interluit fluvius: indigenæ & decora sunt facie & moribus minime inurbanis. *Garcilassus* men-  
1.6. c. 12. minit & alterius provinciæ prope *Pincos*, quam vocat *Chucrupu*.

*Guanco.* Sequitur deinde longe maximum & sumtuosissimum Palatum post *Caxamalcam*, cap. 80. quod appellant *Guanco* & *Garcilassus* *Huanucu*; de quo *Petrus de Cieça*; In *Guanucu* 20 (inquit) erat Palatum regium, operis admirabilis, nam & saxa erant prægrandia & concinnè admodum coagmentata. Id erat caput vicinarum provinciarum usque ad *Ardes*; adjunctum erat *Templum Solis*, cum suis virginibus, & ministris & tantæ fuit dignationis dum res *Ingarum* stabant, ut continuo hic ad triginta millia barbarorum ministrarent.

Hic jam cernitur colonia & oppidum Hispanorum, vulgo *Leon de Guanuco*, quinquaginta vel ut alii quadraginta leucis à Metropoli *Lima* versus Aquilonem, secus viam regiam quæ dicit per montana. Urbs ab aliis vocatur *Guanuco de los Cavalleros*; est imprimis locuples, & amœna, omnibusque rebus necessariis abundans tam ad vitam quam voluptatem: circiter trecentas familias Hispanorum numerare testantur, qui haud ita nuper videre, & plures barbaros atque Nigritas: habet suum *Corregidorem*, & monasteria religiosorum, & Collegium Jesuitarum; & casas nobilium. In ambitu jacent plures indigenarum pagi: & haud longe ab oppido argenti fodina, quæ argentum edit minus absolutum. Haud longe quoque ab oppido labitur fluvius *Maranon*, ut vocant, qui in montibus *Bombon* oriens, labitur per *Xauxam*, pene ad *Guamangam*, colligens in se omnes omnino amnes qui ex altissimis illis montibus descendunt; & reflectens se præterlabitur *Guanicum*. Ager porro urbis, quem quidam vocat *Paradysum*, & salubri gaudet cœlo & solo perquam fertili & pecorum fœundo; nec argenti venarum inopi. Indigenæ sunt acri ingenio, impigro, docilique; jam tritici sementem facere didicerunt ab Hispanis, Mayzio suo pene abdicato, quippe 40 quod & minus nutriat & crassiorem & magis copiosum gignat sanguinem, ut quidam opinantur. Vitem quoque tolerat regio, & ficus aliasque domesticas & advenas arbores fructiferas. Armentorum & jumentorum, pecorumque jam ad miraculum dives: Sylvæ scatent perdicum aliarumque avium copia; montes vero & saltus feris, leonibus, ursis & similibus. Dicēcesi hujus oppidi comprehenduntur *Conchuci*, amplissima *Guaylarum* provincia, *Tamara*, *Bombon*, & plures aliæ: adeo ut triginta millia barbarorum vestigium intra fines illius contineri scribat *Herrera*. Quæ quidem provinciæ & populi olim ad Metropolim *Limam* pertinuerunt, sed postquam Regni utilitas postulavit alterum hoc oppidum condi, multum licet adversantibus *Limani*, cap. 79. ut scribit *Cieça*, *Guanuci* civibus fuerunt attributa. 50

Ad eandem quoque Dicēcesi referuntur *Vitici* in summis Andium jugis, asper-  
rima & impeditissima loca incolentes, ad quos *Mango Inga*, Hispanorum sævitiam declinans postquam *Ingarum* imperio everso aliquot annos per ludibrium regnasset, securitatis causa profugit, & Hispanis sæpe ex improviso magnam intulit cladem; ut Historiæ Hispanorum testantur.

## C A P. XXVIII.

*Via regia per montana, & provinciae à Guanuco ad Guamangam;  
itemque à Lima ad Xauxam.*

**G**uanucensem provinciam excipit Bombon, provincia & natura munitissima & Bombō. situ locorum aspera, incolisque imprimis bellicos & pugnacibus frequens: editissimam esse totius Peruviae regionem & non minus planam, testatur 10 *Augustinus de Zarate*: ideoque & frigidissimam & multa grandine & assiduis nivibus rigentem. Hic visitur Lacus decem leucas ambitu suo complectens, in solo modice elato, & altissimis montibus in ambitu undiquaque septus; indigenæ ripas illius accolunt vicatim, olim quidem frequentissimi, nunc vero numero paulum imminuto, præterquam in montanis & asperis regionibus, ubi hodieque maxima ferocissimorum barbarorum copia reperitur. Ob soli frigiditatem, Mayzii quidem penuria hic laboratur, non desunt tamen radices, aliaque edulia humanis usibus comparata. In ipso lacu eminent scopuli, multæque perexiguæ insulæ, quæ juncos, aliasque ferunt herbas, quibus indigenæ pecora sua non modo alunt, sed & saginant: aquis autem hujus lacus famosum illud flumen, quod vulgo vocant *Maranon*, 20 cujus jam supra meminimus, nutriti volunt, nam è lacu profluens amnis & per Xauxæ vallem delatus, jam vastus per se, mox receptis aliis amnibus, *Parco*, *Bilca*, *Abancay*, *Apurima* atque *Yucay* ad orientem citus fertur & pluribus fluminibus in progressu auctus, descendit in *Maranon* ut vulgo credunt, ut autem magis verisimile judico in *Paraguayam*. Sunt qui provinciam *Bombon* tantum viginti quatuor leucas abesse volunt ab urbe *Lima*. *Garcilassus* vocat hanc provinciam *Pumpu*. Latum autem jam dictum appellant nonnulli *Laguna de Chincha cocha*.

*Bombon* decem leucarum intervallo excipit provincia *Tarama*, cœlo longe melior ideoque & Mayzii atque tritici fertilior, cæterorumque fructuum longè feracior: Multa hic olim fuerunt regalia ædificia. Hujus latus claudit provincia *Attavillorum* 30 & ad orientem in ipsis montibus aut paulo ultra *Chupachorum* regio, atque flumen, per quam transitur in regionem *Mamae*, ultra quam ad orientem densissimæ occur- runt sylvæ & meræ solitudines.

A *Tarama* per regiam viam pervenitur ad *Xauxam*, totius Peruviae celeberrimam provinciam, per quam *Xauxa* fluvis labitur, quem è lacu *Bombon* aut saltem ex illius montibus oriri diximus; & qui vulgo in Peruvia appellatur *Maranon*; credunt enim longissimo intervallo per mediterraneas provincias dilapsum & plurimis aliis fluminibus auctum in mare Septentrionale exire. Patet hæc vallis quatuordecim leucas in longitudinem, quatuor aut quinque in latitudinem; olim incolis ita frequens, ut quum primum Hispani hac iter agerent, triginta millia barbarorum hic habitasse credantur: nunc vero (inquit *Cieça de œvo* suo scribens) vix decem supersunt millia. Indigenæ uno nomine dicebantur *Guancæ*, vel ut *Garcilassus*, *Huancæ*, licet *Herrera* eosdem etiam appelle *Taos*; verum *Garcilassus* longe aliam provinciam videtur facere, in qua *Yanu* ut ille scribit, habitarint: nam post *Xauxam* atque adeo *Caxamalcam* jam perdomitas, quum *Ynga* jam triumphabundus repetret *Cusco*, ex itinere ad hanc divertisse provinciam, quam dicit asperam situ, & bellicos barbaris frequentem fuisse. Eundem post *Xauxam* subjugatam, provinciam divisisse in tres regiones, quarum prima dicta fuerit *Sausa* sive *Xauxa*, altera *Maricalbilca* vel *Marcavilca*, tertia *Laxapalanga* vel *Lacsapallanca*: in singulis autem condita fuerunt regia *Palatia*, in priori autem ad ipsum vallis ingressum longe sumtuosissimum: cingitur hæc vallis undique à nivosis montibus; abest à Metropoli *Lima*, ut *Herrera* numerat, leucas triginta & sex, vel ut alii quadraginta. Atque ut hoc per digressionem moneamus, iter à *Lima* ad *Xauxam* instituitur in hunc modum.

A *Lima* transitur per vallem *Seneguillam* (quæ distat ab urbe quatuor leucas) ad *Chontajo del Mar*, alteram vallem copiosam novem leucis à *Lima*; & deinceps superato amne venitur *Siscayum*, indigenarum municipium, decem ab urbe leucis: mox

adversa fluvii ripa ascenditur ad *Chorillo*, indigenarum itidem pagum, loco edito situm, tredecim leucis ab urbe: hic jam pluere & tonare incipit. Hinc ad *Guadacheri* opulentum indigenarum municipium, qui in pluribus pagis habitant ad clivos & in convallibus, & communis nomine appellantur *Capiyungæ*. Inde per valles & montes ascendet ad editissimum horum montium jugum, quod appellatur *Pariacacca* duas & viginti leucas ab urbe; itinere longe difficillimo & periculofissimo; & quidem dupli, uno quod vocatur *la Escarilla*, quia gradibus quibusdam è petra excisis ascenditur cum summo discrimine, ruendi in præceps, atque adeo in paludem admodum altam quæ subtus jacet; id iter exit ad *Atunxauxam*, ubi fluvius *Maranon*, ut vocant, lapideo transitur ponte. Altero (vocant *El Atajo*) quod per amnem (qui per plana delapsus in mare Australis egreditur juxta *Canneten*) dicit, qui se abscondens sub terra leucam unam, rursusque emergens, ponte ab ipsa natura strato transitur: & tendit porro callis ad rupem *Pacacacham*, ubi hic amnis de jugo se præcipitat per certam rupem in abyssum cum horrendo murmure; à *Pacacacha* per montes & solitudines tandem descenditur in vallem *Xauxam*.

Denique, uti accepi à quodam qui nuper viderat, in hac valle sunt hodie quatuordecim indigenarum pagi; est grande & amplum *Corregimiento*, ut vocant, in quo visuntur aliquot cœnobia Franciscanorum & Dominicanorum; qui barbaros instituunt: Abundat vallis Mayzio & tritico; optimâ suillâ; & fructibus omnis generis. Inter pagos celebratur *Guanacojo*, ubi diversorum sive *Tambo* visitur itinerantibus valde opportunum. Licet autem indigenæ hujus vallis, jam plerique Christianis Sacris sint iniciati, sunt tamen inter eos non pauci qui antiquas gentilitatis suæ superstitiones retinent; quique Dæmonem adorant, quem vocant *Supay*, non quod malum esse diffiteantur, sed ne ipsis male faciat.

A *Xauxa* ad oppidum *Victoriam* sive *Guamangam* leucæ sunt triginta. Nam viam regiam sequentibus, primum occurunt loca edita sive montes, qui vallem illam claudunt, in quibus veterum ædificiorum rudera visuntur: & deinceps pagus *Acos* juxta paludosum arundinetum: Indigenæ autem degunt paulum extra viam, in asperis atque incultis montibus qui ad dextram jacent.

Ab *Acos* transitur ad Palatum *Pico*, atque ita per editam planiciem sensim descenditur ad fluvium *Xauxam*, cuius ripæ hic junguntur ponte, quem barbari vocant *Angojaco*; juxta hunc olim fuit Palatum regium & balneum aquarum calidarum, quæ è vicina scaturigine ebulliunt: ab hoc ponte transitur ad alterum, qui stratus est super alterum amnem, æstivis quidem mensibus tenuem, sed qui hybernis in immensum augetur: adversæ ripæ adsidet pagus *Picoy*: à quo rursus ascenditur ad Palatum *Parcos*, quod situm est in vertice montis, & undique incultis, atque asperis collibus cinctum, quos indigenæ habitabant. Haud procul hinc in solitudine visuntur rudera *Pucare* cuiusdam (nam nomen hoc commune est omnibus locis à natura aut arte munitis) regii quondam *Castelli*, ad quod vicini barbari tributa sua comportare jubebantur. Indigenæ autem harum Regionum, ut plurimum domicilia sua habent in nivosis montibus, in convallibus vero faciunt sementem, quæ ab altis montibus à frigore defenduntur: plurima hîc dicuntur reperiri argenti metallæ.

A *Parcos* per montes & declives colles ad fluvium ejusdem nominis descenditur, qui ponte transitur super lapideas columnas strato. Hoc flumine superato, dicit via regia, primo ad *Assangaro*; deinde ad *Guamangam*: A *Parcos* autem ad *Guamangam* numerat *Herrera* leucas undecim; *Augustinus de Zarate* ad *Cuscense* oppidum quinquaginta.

Rationem hujus itineris in hunc modum descriptam accepi ab uno qui nuper viderat; Ex *Xauxa* nimirum venitur *Acos*, diversorum sive *Tambo*; inde per certos clivos secundum ripam fluminis *Maranon*, ut vocant, venitur *Casmam* ubi pulchri visuntur horti, & sequendo fluminis ductum per difficiles tramites, transitur pons lapideus, & relinquitur via ad levam qua itur ad *Guanca Velicam*, de qua mox: hinc ascenditur editum jugum & valde asperum, veniturque ad diversorum de *Picos*, unde se aperiunt tanti & tam alti montes, ut nullus inde egressus videatur, in quibus tamen visuntur aliquot indigenarum pagi, & flumen ob profunditatem tam angustum appareat,

ut tantum rivulus esse videatur: hinc transitur ad diversorium *Partos*, à quo clivus descendit, leucas duas & semissem, unde videtur Insula in medio fluminis *Maranon*, in qua est plumbifodina & frequens pagus indigenarum; atque hic flumen quod haec tenus, nimirum usque ad insulam, labitur ad orientem, cubito flectitur versus occidentem accipitque hic alterum fluvium, qui ad finem hujus clivi transitur ponte singulari industria facto: tendunt nimirum crassos funes ab una ripa ad alteram, & transversis alligant fasciis; quæ uti & funes contorti sunt è pita aut maguey; & supersternunt stōream è villis textari; muniuntque ad latera aliis rudentibus & fasciis: sustentant utrimque pontem hunc columnæ saxeæ; in medio vero pendet tremulus, ita ut sèpius Grue astringi opus habeat; ubi autem alveus fluminis tenuior est, vado transitur. Postilla pervenitur ad diversorium *Afangaro*, & relinquitur ad sinistram *Guanta* & alii pagi indigenarum, quæ suum habent *Corregidorem*. Hinc denique, si fluvius vado transiri possit, per vallem *Vinaquen* venitur ad *Guamangam*, de qua jam dicemus.

*Guamanga* sive *S. Juan de la Vittoria* oppidum situm est ad altitudinem tredecim graduum ab Æquatore versus Austrum; Sexaginta vel ut alii octo supra septuaginta leucis ab oppido Lima versus Eurum, juxta regiam viam quæ per montana dicit, in patenti planicie ad radices monticulorum, qui uno & continuo ductu ad australem plagam urbi prætexuntur: ad ripam limpidissimi & potari aptissimi torrentis: ædes fere è saxis substructæ & tegulis desuper tectæ; tria in urbe templa, diversa monachorum cœnobia, multæque confraternitates, ut vocant, tam barbarorum quam Hispanorum: nec non una Nigritarum; & Hospitale quod cum pulcherrimis harum regionum facile certat: Habet suum Episcopum, & Corregidorem ut appellant. Cœlum hic admodum salubre nec solis ardore nec vespertino rore noxiū, sed alternante frigore atque calore egregie temperatum: in agro multæ visuntur Hispanorum villæ, in quibus ob pascuorum bonitatem & amniculorum intercurrentium opportunitatem, ingentes pecorum greges pascunt. Amniculorum autem maximus dicitur *Vinaque*, ad cuius ripas visuntur rudera antiquissimorum ædificiorum, quæ barbari superioribus seculis ab alia natione extructa narrant; nec vero id absi- mile, nam Architecturæ modus longe differt ab eo quem posteriores Peruviae Reges sunt secuti. In vicinis flumini agris, copia colligitur optimi tritici, & quod cum Europæo certet, è quo præstantissimum panem coquunt. Æstivis mensibus non-nunquam pabuli in opiam patiuntur jumenta, præsertim quia in America nullum fœnum colligere consuevere. Andium juga, quæ ab Hispanis appellantur *Cordilera*, absunt ab hoc oppido leucas octodecim.

Indigenæ hujus provinciæ, statura sunt mediocri, subfusco colore, tardo inge- nio, pigri & mendaces; ad nequitiam satis industrii. Eorum numerus, qui quidem vectigales sunt, ad triginta millia dicitur ascendere. *Coca* magna copia colligitur in finibus hujus provinciæ, nec non mellis: medicis quoque herbis luxuriat tellus; una autem noxia & venenosa, *Mio* vocant, quæ animalia, si attigerint, enecat. Inter animalia humano victui apta, excellunt damæ, quarum carnes comparant vitulinis: inter noxia unum, cuius urina tam gravem atque adeo pestilentem fundit odorem, ut è longinquo sentiatur, & nunquam è vestimentis elui possit. Multæ denique in hac provincia, auri, argenti, hydrargyri, æris, ferri, plumbi, sulphuris nec non ma- gnetum fodinæ.

## C A P . XXIX.

*Reliquæ mediterraneæ provinciæ ab oppido Guamanga ad Cusco :*

50 *Guancabelicæ fodinæ; & Chocolococha sive Castro Virreyna.*

**A** Provincia & oppido *Guamanga* ad Cuscensem Metropolin vulgo sexaginta numerantur leucæ, ab *Augustino autem de Zarate* octuaginta: aspero & per- molesto itinere, ob montium vastitatem & petrarum asperitatem.

Duabus à *Guamanga* leucis planicies *Chupæ* jacet; undecim vero Palatium longe maxi-

Bilcas. maximum *Bilcas*, quod in ipso regni Peruviani meditullio situm esse barbari jam olim judicarunt, & Hispanorum itineribus comprobatum, tantundem viæ esse à *Quiteni* oppido ad *Bilcas*, quantum à *Bilcas* ad regnum *Chile*. Palatium autem hoc totius regni longe maximum & splendidissimum fuit, hodie tantum rudera & miserum cadaver tantæ molis conspicitur. Hic jam visitur municipium indigenarum, multis pagis undique cinctum, quod suum habet *Corregidorem*, ut vocant; Solum hoc totius Peruviæ editissimum judicatur.

Vramar- ca. A *Bilcas* ad *Vramarcam* septem sunt leucæ, flumine intermedio, quod à superioris Palatii nomine *Bilcas* appellatur & ponte centum & sexaginta passus longo transi- tur. Hoc flumen oritur in provincia *Sorarum*, perfœcunda & rebus omnibus necesse fariis affluente; indigenæ illius bellicosæ, eademque lingua utuntur, qua *Lucanes*, eodemque modo laneis vestibus amiciuntur, possidentque ditissimas auri & argenti fodinas. *Vramarca* indigenæ olim dicebantur *Chancæ*, provincia autem *Andabayla* sive *Andaguayla*, in qua multæ ædificia regalia fuerunt atque horrea. Maxima & latissima est provincia, armentorumque fœcunda, tritici fertilis, & in calidioribus vallibus multorum fructuum. Jam maxima indigenarum pars sævitia & civilibus Hispanorum bellis pene est absunta. A *Guamanga* ad *Andaguaylam* viginti leucas numerat *Herrera*. *Garcilassus* vocat hanc provinciam *Antahuayla*, & scribit nationem *Chancam* olim plures populos comprehendisse, uti *Hancobuallu*, *Vtunfulla*, *Vramarca*, *Villa* & alios. Notandum autem illarum gentium idiomate *Marcam* significare Castellum sive locum munitum. Per hanc provinciam labitur fluvius, eorum qui in *Maranon*, ut vocant, influunt fere maximus; ad cujus ripas plurimæ cannæ Sacchari nascuntur, vocatur *Vramarca* à vicino *Tambo*.

Pingos. Ab *Andaguaylas* ad *Abancay* leucas numerant novem: iter jacet ad hunc modum; primo venitur ad diversorium *Pingos*, & per editum clivum ascenditur ad *Guancavam* ubi optimi fiunt socci, qui in plerisque provinciis Peruviæ maximi sunt.

Cocha- cas. Hinc per viam regiam, ascendendo, descendendoque editos & asperos colles transitur ad diversorium *Cochacaxas* sive *Cocachaca* (*Garcilassus* vocat *Cochacassam*) distans à flumine *Abancay* versus Arctum tres leucas, aut ut aliis placet, duas, itinere perdifficili, ob asperos & declives colles, ad quorum latera tamen terræ jacent tritici & Mayzii satis uberes.

Abancay. Flumen *Abancay* transitur lapideo ponte, super columnas lapideas barbara industria strato; haud procul à ripa visuntur rudera regalium ædificiorum. Vallis *Abancay* flumini contigua plurimas alit Sacchari cannas; distatque à *Cusco* leucas viginti duas secundum *Herreram*, aut viginti quatuor secundum alios: habet suum diversorium quod à fluvii nomine appellatur *Abancajo*, juxta quod altissimus mons visitur, quem argenti venis scatere opinantur, quæ tamen hactenus non foduntur. Secundo flumine descenditur ad vallem *Cotabambam*, iter est duodecim leucarum.

Apuri- ma. Ab *Abancay* ad *Apurima* fluvium numerant leucas octo. Itineris ratio, quémadmodum accepi ab eo qui nuper fecerat, ita se habet. Ab *Abancajo* transitur inter altos montes & profundas valles ad alterum diversorium & pagum indigenarum: à quo deinceps descenditur ad flumen *Apurima*, omnium Peruvianorum longe rapidissimum; ubi duo periculosisima loca transeunda; *la Laxa* nimitem, ut vocant, & pons *Apurimæ*: *Laxa* ista est trames quadringentorum passuum, inter durissimas petras excisus, qui instar scalæ descenditur, gradibus ita comparatis ut singula jumenta in iis possint consistere; ab uno latere habens petras & altissimos montes ad quatuor leucas, ab altero flumen, cuius ripa itidem petra est, præcipiti clivo, quæ veluti muro, aut vallo exciso ad latus est munita, ne viatores in præcepit ruant: ad adversam fluminis ripam jacent montes, & nemora & saltus invii. Veteres tamen Peruviæ Reges tramitem per asperrima hæc loca ita complanaverant, ut per illum, quatuor leucas ab *Laxa*, secundo flumine, crebro peterent secessum quendam, in profunda valle situm, juxta quem plurimum auri hodieque ferunt reperiri. Pons admirabilis opere est factus, ab una enim parte sustentatur à petra, ab altera à mole lapidea; ipse autem est sublicius, centum & octuaginta passus longus, & tanto artificio annulis, clavis, catherinisque ferreis ita concinnatus & connexus, ut licet nullis columnis

columnis intermedio spacio sustentetur, tamen maxima onera sustineat: fluvius enim hic altissimus est, ita ut nullæ trabes in fundum adigi possint: huic ponti restaurando præst Hispanus, cum stipendio mille ducatorum: omnes autem merces solvunt dimidium ducatum pro singulis centenis.

Supra hunc pontem, haud procul à ripa hujus fluminis jacent plurimi pagi barbarorum quos vocant *Alimarranes* vel *Aymaraos*; ad Arctum autem ab ejusdem ripis sita est *Vilcabamba*, ubi fodina est argenti, sed minus absoluti, è qua quotannis, plus *Vilcabamba.* minusve, quingentæ barræ, ut vocant, sive laminæ argenti egeruntur: In hisce partibus pauci habitant Hispani, sed multi mercatores veniunt huc cum mercibus, re-  
10 deuntque, qui magnum quæstum faciunt.

Ab *Apurima* ad *Metropolin Cusco* statuunt *Didacus Fernandes* & *Augustinus de Zárate* duodecim leucas. Nam superato ponte primum aditur diversorium sive *Tambo*: in jugis autem montium jacet *Mollopata* & plures indigenarum pagi. Hinc transitur ad *Limatambo* ubi plurima rudera visuntur regalium ædificiorum; distat novem leucas à *Cusco*. Hinc per *Bilacunge* vasta juga descendit in vallem *Xaquixaguanam*, (quam *Garcilassus* vocat *Sacahuayanum*:) inter altissimos montes angusto spacio conclusam. In qua veteres Peruviæ reges hortos suos & viridaria habuerunt, in 1.7. c.10. quæ sæpius secedebant animum relaxandi gratia; abest ab oppido leucas quinque. Aquæ fluvioli, qui è vicinis montibus oritur, restagnant hîc in cœnosam paludem, 20 perdifficilem transitu, nisi Reges per medium paludem ingenti molimine, viam utrumque muro communivissent ac silicibus stravissent, ultra quam colles quidam ad oppidum usque transcenduntur. Hæc vallis superioribus seculis fuit frequentissima, arvis omnibus atque agris mirabilem in modum divisis atque distinctis: Hispani hîc hodie ob insignem foli libertatem & faciunt fermentum, & exercent pecuariam. Antequam autem ad *Cuscensis oppidi* descriptionem procedamus, de *Guancabeli-*  
cæ fodinis necessario nobis dicendum.

Octo aut decem leucas à *Guamanga* versus Còrum, sitæ sunt celeberrimæ fodinæ *Guancabelicæ*, quas Hispani hodie vocant *El Aſſiento de Oropesa*, è quibus ingens vis at- Guanca- genti vivi eruitur. Fuit sane id metalli genus Peruviæ indigenis penitus incogni- velica. 30 tum, minium tantum effodiebant, quod ipsi vocant *Limpí*; eoque corpora sua inficiebant, sive embixabant (ut barbarorum vocabulo utar,) uti & hodie ad singularem ornatum usurpant. In hunc finem varios cuniculos (*Socavones* vocant Hispani) intra montis viscera per ampla spatia egerunt, qui hodieque visuntur, ita intricati, ut si quis ingrediatur, difficulter admodum se possit explicare. Argenti autem vivi, quod hisce minii venis continet, nulla ratio habita fuit, ne quidem ab Hispanis, usque ad annum 1.3. c.17. 40 quibus res hæc primum in Peruvia innotuit, ut *Acosta* testatur, hac occasione: *Henricus Garsias Lusitanus* à barbaro quodam dono acceperat massam *Limpí*, quam quum versaret, & rerum metallicarum scientiâ, quo pollebat, idem metallum esse judicaret è quo in Hispania & minium (quod barbare verмиlura vocatur) & hydrargyrum eruitur: ad ipsas fodinas proficiscitur, & periculo facto, ita se rem habere ut suspicabatur, invenit. Metallis *Palcarum*, in finibus oppidi *Guamanga*, ad hunc modum detectis, magno numero accurrerunt Hispani, ut hydrargyrum elicerent ad Novam Hispaniam transportandum, ubi argenti vena hoc metallo perpurgatur: quæ res & multos opibus auxit, & locum ædificiis & accolis frequentissimum fecit. Inter fodinas autem excellit, quæ amedei Cabrerae vel etiam Sanctorum nomen servat, durissima rupes, & infinitis hydrargyri venis per totam molem discurrentibus rumens, octuaginta quidem olnas Hispanicas in longitudinem, quadraginta in latitudinem occupans, & quaqua patet octua- ginta cubitos in profundum suffossa, ita ut trecenti metallici hic simul operi possint 50 vacare. Hanc *Amador Cabrera* à servos suo *Mavincopa* primum detectam, à Pro Rege Peruviæ, Advocato Fisci nonnihil licet reluctante, habendam atque possidendant accepit: eamque postilla ducentis & quinquaginta millibus ducatorum venditam, facti pœnitens (nam duplum valere judicabatur ab omnibus rei metallicæ gnaris) redhiberi sibi postulavit atque evicit: quum autem, *Francisco Toletano* Peruviæ Pro- Rege, *Franciscus Fernandez de Velasco*, in Nova Hispania hydrargyri usum in argento purgando edoctus, idem in Potosia feliciter tentasset, anno demum 1.3. c.17. 60 magnum

magnum argenti vivi pondus ad Potosianas fodinas subvehī cōpīt; cujus ope non tantum metallū recens effossum majori compendio eliquatum, sed & vetera recrementa, quæ Hispani appellant *des Montes*, perpurgata sunt, major enim copia argenti, hujus metalli ope extrahitur, quam alias flamma educeret. E fodinis denique *Guancavelicæ* decies centena millia pondo hydrargyri quotannis hauriuntur, & terrestri itinere deducuntur Limam, dein, maritimo Aricam, & inde rursus Potosiam: unde ut plurimum Ærario Regis accedunt quadringenta millia ducatorum, præter alia emolumenta.

Haud procul à *Guancavelicæ*, visitur fons, cuius aquæ calidissimæ sunt & simulac profluunt, lapidescunt: hoc lapide plurimum utuntur ad ædificia, est enim molior, facileque cæditur, haud secus quam lignum, & licet levis sit, ævi tamen haud minus patiens: Nec homo nec ullum animal has aquas haurit sine noxa, nam etiam intra viscera statim convertitur in lapides.

Qui haud ita nuper viderunt *Guancavelicam*, testantur oppidum esse imprimis opulentum, habitarique à duobus millibus Hispanorum, & longe pluribus barbaris qui in metallis occupantur. Hydrargyrum autem ab hoc loco deduci, ovium Peruvianarum ope ad portum Maris Australis, qui appellatur *Chincha*, atque inde navibus *Aricam* & ita porro *Potosiam*. Distat oppidum sexaginta leucas à *Lima*.

Porro quatuordecim leucas à *Guancavelicæ* aditur oppidum *Castro Virreyna* & barbarorum lingua *Chocolococha*; itidem sexaginta leucas distans à *Lima*, juxta hanc urbem jacent fodinæ argenti absolutissimi; quæ quotannis dant ad minimum non gentas laminas argenti quintati: distant ab urbe duas leucas in vertice editi & deferti montis sive *Puna*, ut vocant, totius Peruviae longe frigidissimæ, saluberrimæ tamen, quippe ubi nulla animalia noxia generantur, ne quidem pulices aut aranæ; secus urbem labitur amniculus qui machinas agit, quibus argenti vena frangitur. Præfectum habet urbs, qui hic magnas divitias cogit. Ab ea variæ semitæ pertinent ad *Tcam*, *Piscamque* quæ ad mare Australē jacent.

### C A P . XXX.

*Cusco Peruviae quondam Metropolis: Regionum adjacentium situs* 30  
*& qualitates: Oppidum S. Francisci de la Vittoria;*  
*& S. Juan del Oro in Caravaya.*

Garcil.  
1.7. c.8.

**C**USCO, olim Regni Peruviani metropolis & *Yngarum* domicilium, nobilissima civitas, sita est ad decimum tertium gradum & semissem altitudinis Australis; ad septuagesimum autem octavum longitudinis à Meridiano Toletano, ut *Herrera* numerat, ad occidentem productæ; centum & viginti, vel ut alii quadragesita leucis ab oppido *Lima* versus ortum: in duro atque aspero solo & undique montibus incincto. Prima illius ædificia structa fuerunt in clivis montis *Sacahuaman* 40 qui jacet inter ortum & Arctum à civitate, in cuius fastigio sive vertice *Yngæ* moliti sunt mirabilem illam Arcem de qua post. Civitas autem divisa est in duas partes, *Hanam Cusco*, id est, superiorem, & *Hurin Cusco*, id est, inferiorem, per semitam *Antisuyo* quæ dicit ad orientaliores provincias, ita ut illa pars ad septentriones vergeret, hæc ad Meridiem. Principalis regio Civitatis appellabatur *Collcampata*, in qua *Mancocapac* palatium suum exstruxerat: altera huic ad ortum vicina *Cantutpata*: & tertia *Pumacurcu*: quam excipit quarta & maxima *Tococachi*; deinceps versus meridiem *Munayenca*, & ad eandem plagam *Rimacpampa* in cuius medio area erat in qua præcones Regis mandata proclamabant: & demum *Pumapchupan*. Mille autem aut circiter passus ab hac regione, urbis suburbium erat *Cayaucachi*; & magis ad occidentem alterum *Chaquillchaca*, per quam salit semita *Cuntisuyo*. Ad arctum habuit *Pichu* & *Grillipatan*, utramque extra civitatem. Et paulo ulterius *Carmencam*, per hanc egreditur semita *Chinchasuyo*: declinando autem ad ortum occurrit regio *Huacapuncu*, per quam ingreditur torrens qui secat principalem aream civitatis, & juxta illam trames latus & longus, qui sesquileucam extra civitatem se conjungit cum via regia *Collasuyo*. A *Sacahuaman* itidem descendit tenuis rivus; secundum quem semita

semita *S. Augustini* urbem permeat ab Arcto ad Austrum, usq; ad *Rimacpampam*. Tres præterea aut quatuor calles dividunt amplissimum illud spatium inter semitam illam & rivulum; ubi olim solebant habitare omnes è regia prosapia, secundum suas *Ayllus*, ut vocabant, id est gradus, quum totam regiam familiam appellaret *Capac-Aylla*. Porro secundum semitam *S. Augustini* situs est conventus *S. Clare*: item domus Episcopi, & imprimis Ecclesia Cathedralis quæ exit in Aream principalem. Forum principale dicebatur *Haucaypata*, patens in longitudinem inter arctum & austrum passus quadrigenitos: & in latitudinem inter ortum & occasum centum quinquaginta. Atque hæc quidem ædificia & loca ab eo torrente pertinent ad ortum; ad occidentem primo jacet area *Cusipata*, quam hodie vocant *de Nuestra Sennora de las Mercedes*; & ita porro alia ædificia.

Diximus supra, *Yngas* munitissimam arcem molitos fuisse in vertice montis *Sacahuaman*, cuius licet hodie bona pars collapsa sit, satis tamen apparet stupendum opus fuisse; nam murus illius congestus est è tam ingentibus saxis, ut vix cogitatione quisquam assequi possit, quo modo barbari omnium ferramentorum indigi, tanta saxa potuerint excidere: aut sine jumentorum, carrorum aut similiū machinarum operæ aut decem & nonnunquam plures leucas deducere, & quidem trans flumina satis vasta, aut denique saxa mole & forma inter se minime congruentia, tamen ita inter se sine ulla calce aut cemento aptare. Nam quum Arx hæc struxa sit in vertice montis qui civitati imminet ab Arcto, & ab hac parte ad perpendiculum præruptus est, hic tantum murum eduxerunt è grandibus saxis magna industria connexis, & politis, ducentas aut circiter orgyas longum; diversa autem parte, ubi mons leni clivo ascendit, tres muros struxerunt, æqualibus intervallis, qui semilunari forma cum priore muro conjunguntur; extimus autem factus erat è grandioribus saxis & ita porro, quorum singula ita reliquerunt uti nata erant, nisi quod concava, aliis convexis implerent, & quatuor veluti digitis consererent: In medio uniuscujusque horum murorum porta erat, quam uno ingenti saxo concludere poterant; primam & extimam portam vocabant *Tiupuncu* (*Puncu* sonat portam, *Tiu* arenam) quia mons ea parte arenosus est: Secundam *Acahuana Puncu* ab Architecti nomine. Tertiam *Viracocha Puncu* ab Idoli sui aut Principis nomine: inter singulos muros intervallum erat viginti quinque aut triginta pedum, terra aut arena aggestum, usque ad fastigium, singuli autem habebant loricam sive antimurale ulnam unam altum. Intra muros area erat, & in illa tres turres sive castella, in triangulo disposita; quorum medium & principale vocabant *Moyoc Marca*, id est, castellum rotundum à formâ; in quo fons erat limpidus, è longinquo sub terra huc deductus: in hoc castello regis erat domicilium, parietibus auro atque argento obductis, variisque animalium formis ad tapeti modum variegatis: Secundum *Paucar marca*, & tertium *Sacllac marca*; utrumque quadratum: in quibus plurima erant conclavia in usum præsidiariorum. Ab uno autem castello ad alterum ibatur per cavernas subterraneas, in quibus & plurimæ erant portæ & variii flexus atque reflexus instar labirynthi. Quid multa; opus tam stupendum erat, ut magis à dæmoniis quam hominibus factum crederetur. Hispani mirabilem hanc structuram mirum in modum deformarunt, plurimis saxis ad ædificia intra civitatem traductis, ita ut hodie tantum muri qui amiebant supersint, quorum saxa adeo sunt grandia ut ea amoliri minime potuerint. Sed de hisce antiquitatibus Peruvianorum haec tenus.

Plateæ hujus civitatis longæ, sed angustæ; ædes lapideæ & è vivis saxis magnæ molis industriè concinnatae: multa hic erant ædificia regia; & imprimis Templum Soli dedicatum, longe sumtuosissimum, quod vocabant *Curiacanchen*; auro atque argento locupletissimum, cuius fundamentis hodie in ædificatum cernitur monasterium *S. Dominici* longe famosissimum, nec ullum in tota America parte oppidum inventum, quod aliquam urbis formam haberet præter hoc: cæterum omnium oppidorum Peruviarum longe opulentissimum fuisse, haud mirum debet videri, quum omnis auri atque argenti gaza ex diversis & longe dissipatis provinciis ad hanc regiam sedem deduceretur: multæ hodieque caveæ & subterraneæ cellæ visuntur, in quibus immensum auri atque argenti pondus à multis annis depositum Hispani repererunt.

Quatuor sunt hodie in urbe templa quatuorque monasteria ordinum mendicantium, collegiumque Societatis : Et Hospitalia aliquot, inter quæ unum Indigenarum imprimis opulentum, de quo mira narrat *Garcilassus*. Aër licet hic frigidior sit, tamen longe saluberrimus : Annonæ atque omnium rerum quæ ad vitam humanam necessariæ sunt, summa abundantia : Hispani autem qui hoc oppidum incolunt, possident plures barbaros vestigiales (*Encomiendas* vocant ipsi) quam usquam alibi in tota Peruvia. Suburbanus ager & valles vicinæ non modo herbarum & florum amœna varietate spectabiles, sed & fructiferarum arborum tam domesticarum quam peregrinarum copia delectabiles. Super rivum qui oppidum dividit aliquot molæ constructæ in usum oppidanorum : in medio denique urbis fons scaturit, cuius aquæ in optimum & candidissimum salem coagulantur, è quo alibi maximus questus fieri posset, hic ob copiam vilior est. Quatuor denique ab urbe leucis Lapicidinæ sunt, è quibus oppidani sibi lapides petunt ad structuras. Accepi à quodam qui haud ita nuper viderat, habitare in hac urbe circiter tria millia Hispanorum, & decem millia barbarorum : Regi autem à Corregidore, ut vocant, magni imprimis nominis : Et Episcopatum habere, olim quidem longe opulentissimum, sed qui hodie, postquam *Guamangensis* & *Arequipensis*, Episcopatus sunt instituti, tantum quotannis percipiāt viginti millia ducatorum. Continet præterea in sua Diœcesi octo aut decem *Corregimientos*, ut vocant, quæ sunt præfecturæ admodum questuosæ, ita ut inter eas sit, quæ triennio valeat centum millia ducat ; conferuntur autem omnes à Pro-Rege.

*Toyma.* Ad oppidi hujus districtum pertinet vallis *Toyma*, pluresque aliæ in quibus *Coca* illa tantopere barbaris dilecta, infinita carpitur copia: plura hic indicia venarum auri, argenti, hydrargyri : Indigenarum centum millia, qui Hispanis tributum & operam pendunt, ut *Herrera* scriptum reliquit.

*Yucay.* Vallis *Yucay* abest ab urbe quatuor leucas ut scribit *Garcilassus*, versus aquilonem; inter arduos montes veluti conclusa & ab eisdem adversus omnes aëris injurias tam insigniter munita, ut temperatissima & saluberrima merito æstimetur : & Cuscenses proceres sæpe deliberaverint oppidanos ad hanc vallem traducere : plurimi in illa horti & viridaria; Ingæ hic olim secessum suum habuerunt, plurimaque ædificia imprimis magnifica, quorum vestigia hodieque apparent, præsertim in *Tambo* tres, infra hanc vallem leucas, inter duos editos montes, ad ripam torrentis, qui è montibus descendit. Licet autem vallis ipsa tam egregie sit temperata, tamen cacumina montium quibus cingitur, multa carent nive, omnibus fere anni mensibus. Ingæ in eadem valle arcem habuere à natura ita munitam ut à paucis contra ingenitem multitudinem defendi posset: erat enim edito scopulo superstructa, & durissimis petris in ambitu veluti vallo cincta, & à summo clivo ad imas radices, pluribus ejusmodi petrarum ordinibus per intervalla circumdata, è quibus leonum aliarumque ferarum effigies excisæ erant, diversa arma ungulis tenentium: singuli autem petrarum ordines areas includebant ad sementem faciendam comparatas; parientes denique Palatii ab una parte bitumine quodam cementati erant, è quo aureus pulvis emicabat. Habet hæc vallis ad ortum quidem editissima montium juga, quæ pars sive ramentum *Andium* creduntur; de quibus plures torrentes descendunt, ad occasum autem montes editos quidem, sed leniter declives, ad quorum radices labitur amnis *Yucay* placido alveo. Hispani hodieque maximi faciunt hanc vallem & summa industria excolunt illius agros, in quibus plurimas *Sacchari* cannas jam conserverunt: Creduntque Cuscenses male cum oppidanis actum, qui non aliquid terrarum in hac possident: Denique ægros suos huc solent traducere ut facilius & citius convalescant.

Versus occasum & mare Australie habet hæc civitas *Cumbivilcas*, quæ est provincia ut scribit *Garcilassus*, viginti leucas longa & supra decem lata: *Vbinas*, *Aymeraes*, 50 aliosque populos, quorum aliqui superioribus seculis strenui fuere bellatores & pecoris divites, quod ob pascuorum bonitatem hic admodum proficiebat: in fluviis quoque qui *Aymeraum* provinciam secant, multa auri ramenta olim inventa. In *Pomatambo* autem & vicinis pagis, elegantissima texuntur aulea ob lanæ tenuitatem & tinturarum quæ ibidem reperiuntur exquisitam varietatem juxta ac bonitatem.

Ad ortum & versus Andes habet vallem *Vilcabambam*; ubi in regione montosa atque aspera,

aspera, Hispāni condiderunt oppidum *S. Francisci de la Vittoria*, inter ipsa Andium juga, viginti pene leucis ab urbe *Cusco*: quæ præfectum accipit à Peruviæ Pro-Rege Episcopum autem agnoscit Cuscensem. Tredecim autem leucis ab urbe directe versus ortum labitur amnis *Paucar tampus*, ut vocat *Garcilassus*.

*S. Franciscus de la Vittoria.*

1. 3. c. 17.  
*Caravaya.*

Ad Eurum & quidem quadraginta leucas ab urbe *Cusco*, habet *Caravayam*, sive ut *Garcilassus* vocat *Callavayam*, vallem, inter aspermos montes sitam, in quo reperiuntur famosissimæ fodinæ auri longe absolutissimi, (viginti quatuor aut viginti trium & semis ceratiorum ut loquuntur metallici,) quod magnis interdum ramentis eruitur: narrat *Garcilassus* anno 1556 hinc saxum erutum, ex eorum genere, 1.8. c. 24. quæ metalli venis annascuntur, mole capitis humani, colore pulmonis, atque adeo forma non multum abludens, multis poris & foraminibus pervium, quibus auri ramenta inerant acuminata, quorum quædam extabant, alia intus concludebantur: judicabant metallici futurum fuisse ut totum saxum in aurum converteretur, nisi ante tempus fuisset exemtum è terræ venis. Hispani juxta has fodinas condiderunt oppidum seu municipium *S. Ioannis del Oro*. quod *Herrera* scribit, octuaginta leucas distare ab urbe *Cusco*, haud dubio falsus, nam *Garcilassus* & qui nuper viderat, constanter ab urbe ad vallem *Caravayam* designant tantum quadraginta.

## C A P . XXXI.

20

*Itinera trans Andes ad varias provincias quæ nondum satis sunt cognitæ, & expeditiones aliquot Hispanorum.*

**Q**UIA ultra vasta Andium juga, cōplures provincias jacere fama erat, (quarum quædam jam ab Hispanis habitantur) argenti divites & imprimis amēnas; diversa itinera quæsiverunt & aperuerunt Hispani, quibus iti easdem penetra- d. 6. l. 6. c. 2. rent: Quatuor autem enumerat *Herrera*, quæ omnes inter *Opotari* & *Cochabambam*, spatio septuaginta leucarum, inter Arctum & Austrum, comprehenduntur. Eorum primum vocant *Opotari*, tredecim ab Æquatore gradibus versus Austrum, per Andium juga, quæ peculiari nomine appellant *Tono*, xxx leucis vel ut scribit *Garcilassus* vi- Tono, ganti & sex ab urbe *Cusco*: iter autem instituitur ad hunc modum: ab oppido *Cusco* ad vallem *Paqual* leucas decem: à *Paqual* ad Andium radices, quinque; ad summum *Toni Jugum* & ab eo ad flumen *Opotari*, tres, ubi quondam pagus indigenarum fuit, Paqual. valde frequens: deinceps per densa nemora, editissimos montes & præcipites petras, difficultimo atque impeditissimo itinere proceditur ad provinciam *Abycam*, in qua Abisca. plures calidores & commeatu abundantes valles reperiuntur, quæ à solitudine pene invia clauduntur. Scribit *Garcilassus*, *Yncam Yupanqui* primum tentasse per Andes 1. 7. c. 13. pervadere in provincias transmontanas, de quarum divitiis multa acceperat; præser- Moxos. tim de unâ quam barbari vocabant *Musu*, Hispani hodie *Moxos*; persuasisse autem sibi faciliime ad eas perveniri posse secundo flumine *Amarumayo*, quod ad ortum à *Cusco* è compluribus fluviis in unum alveum colligitur, & fluere creditur versus Oceanum Septemtrionalem; nomen accepit ab angue, quem vocant *Amara*; *Mayu* enim ipsis sonat amnem. In hunc finem plures rates parasse è materie arboris, quam Hispani vocant *Higuera* (non quod sit ficus, sed quod lignum illius sit levissimum:) quibus secundo flumine *Amarumayo*, dimiserit plures duces è regia prosapia; qui non sine variis conflictibus, cum indigenis, qui dicebantur *Chunchu*, (à quorum nomine & flu- men sœpe appellatur) iisque subjugatis pervenerint ad provinciam *Musu*, ducentas, ut opinantur, leucas à *Cusco*; ibique confederint & indigenis permisti hodieq; habitent.

Secundum iter agitur per *Caravaya* fines, secundum *Sandiam* & oppidum *S. Ioan- sonis del Oro*, triginta circiter leucis à priori versus Austrum: per quod Hispani sœpius jam ab anno 1535 1551 conati sunt penetrare in provincias ditissimas, quarum obscura fama ad ipsos pervenerat. Eo enim anno, *Petrus Anzorez*, quum per *Carava- yam* in *Zama* provinciam non sine summa molestia penetrasset, asperima juga, niveos saltus & meram solitudinem offendit; iis tamen superatis *Tacanam* provinciam intravit, & summo cum labore atq; discrimine pervenit ad flumen *Omopalcarum*, quod in Mo- Omopal- xx. xis oriri creditur ad radices Andium qua orientem spectant; & in Oceanum Septen- triona.

Cherio- trionalem descendere. Hinc per *Cheribonarum* fines profectus, ratibus in adver-  
bonæ. sum fluminis ripam trajecit, illius accolis, quos *Marquises* vocant, acriter, sed incas-  
Marqui- sum repugnantibus: verum quum hic nihil præter solitudines & loca inviis silvis hor-  
res. rida offendisset, adverso flumine ascendere visum, ut ita per *Moxos* & *Cochabambam*  
in *Chuquiabo* penetrarent: sed post longos errores, pluribus, partim morbis, partim  
inedia absuntis, ad *Tacamae* provinciam, & denique *Ayaviren*, provinciæ *Collao* pa-  
gum redierunt.

Camata. Tertium iter tendit per *Camatam* octodecim aut viginti leucis à Sandia magis  
versus Austrum.

Quartum denique per *Cochabambam* (de qua postea) septemdecim ab Æquato- 10  
re gradibus versus Austrum, & tribus supra viginti leucis à *Camata*. Hanc Hispani  
vulgo vocant *la Entrada de los Moxos*, quia per hoc iter primum aditus ad has gentes  
fuit apertus.

l. 7. c. 17. Narrat *Garcilassus* anno cIɔ Iɔ LXIV *Didacum Alemanum*, oppidi *de la Paz* ci-  
vem, cum Curaca quodam & duodecim Hispanis iter suscepisse ad *Moxos*, quos per-  
suasus fuerat ab hoc Curaca, multo auro abundare: proiectum per *Cochabambam*, &  
postquam octo & viginti dies per montes & saltus ægre esset eluctatus, in conspectu  
primi pagi provinciæ, quam quærebat, pervenisse; atque inconsulto cum tam pau-  
cis in barbaros noctu impetum fecisse; à quibus captus fuerit, plerisque suorum ca-  
sis, adeo ut tantum unus mestis *Franciscus Morenus* incolmis domum rediret. Ab 20  
hoc plures fuisse permotos ut eandem expeditionem susciperent, & inter primos *Go-  
mesum de Tordoya*, impetrata prius venia à Pro-Rege Comite de Nieve, & mox su-  
spensa, quia militum seditio, qui plures se illi conjunxerant, metuebatur. Anno  
dein cIɔ Iɔ LXVI eadem venia concessa, à Pro-Rege Licentiato de Castro, *Gaspardi de Sotelo*; qui plures delectos milites coëgit, & societatem init cum *Inca Tupac amara*,  
qui secesserat in *Vilcabambam*: propositum erat ipsis ratibus descendere flumen *Vilca-  
bambam*; sed & huic venia abrogata, & denuo concessa *Ioanni Alvarez Maldonato*. Qui  
supra ducentos & quinquaginta milites coëgit, & supra centum equos, quos magnis  
ratibus impositos flumen *Amarumayo* deduxit. *Tordoya* qui rem familiarem graviter 30  
apparatu suo afflixerat, sibi injuriam factam questus, cum sexaginta quos ægre ad-  
unaverat, invito licet Pro-Rege, expeditionem aggreditur, facto itinere per *Cam-  
tam*; & per asperos montes & paludes eluctatus pervenit ad ripas *Amarumayo*; co-  
gnoscensque æmulum suum nondum advenisse, hic illum statuit operiri. *Maldona-  
tus* interim secundo flumine descendens, incidit in *Tordoyam*; & sine mora acre præ-  
lium inter ipsos fuit commissum; pugnatum fortiter ab utraque parte tribus diebus;  
ita ut plerique ab utraque parte caderent, & reliqui inutiles bello fierent. *Chunchi*,  
in quorum provincia hæc gerebantur, hac occasione utendum rati, faciunt impe-  
tum in reliquos, cæduntque omnes, atque inter eos ipsum *Tordoyam*: tres omnino  
superstites ab ipsis capti, *Maldonatus*, & frater *Didacus Martinus Lusitanus*, & *Simon Lopez* summa in bombardis concinnandis industria: quos tamen post duos annos in 40  
*Caravayam* reduxerunt.

### C A P. XXXII.

*Promontoria, sinus, portus, flumina, atque ora omnis maritima  
Conventus Iuridici Limani.*

**O**RÆ maritima hujus Conventus Juridici, sumit exordium, ab Angulo sive  
Promontorio *del Aguja*, ubi *Quitenis* definit: Atque hic primum objacent  
Continenti Insulæ luporum marinorum, vulgo *de Lobos Marinos*, septem gra- 50  
dibus ab Æquatore versus Austrum; quarum una abest quatuor leucis à Conti-  
nente, altera paulo pluribus, (Angli collocant utramque ad altitudinem sex gra-  
duum Australium.) Ab his versus eurum abest Insula *S. Rochi*, è regione fluminis  
*Pajcamayo*. Nostri Belgæ qui anno cIɔ Iɔ xcix hæc littora legerunt, insulam ob-  
servarunt ad altitudinem sex graduum & triginta scrupulorum, in qua infinitam  
volucrum copiam invenerunt, quas vulgo vocant *Penguins*, & vitulorum marino-  
rum;

rum; cæterum nec arbores neque quicquam herbidi ferentem, exterius quidem durissimis petris septam, interitus arenosam; Angulo qui Eurum adspicit duæ adjacent insulæ vel potius scopuli, totidemque angulo qui ad Corum vergit.

Ad Continentem primo occurrit portus *Malabriga*, adversus incerta vento- Malabriga-  
rum, quod nomen indicat, male munitus: *Richardo Hawkino* observatus ad altitudi- go,  
nem septem graduum ab Æquatore versus Austrum.

Decem à *Malabriga* leucis, alia statio aditū, quam vocant *el Arrecife de Trugillo*, à tempestatis minus tutæ, abest ab hac *Truxillo* oppidum intra Continentem  
10 leucas duas: quod tamen & alterum habere portum, *Guancacho* nomine, supra cap. xx.  
indicavimus.

Septem deinde leucas secundum orarum ductum proiectis, occurrit *Guanape* Guana-  
portus, distans ab Æquatore versus Austrum octo gradibus & viginti scrupula, ut  
Petrus de Ciega observat: in quo illum aut nonnihil falli, aut distantiam oportet esse  
majorem.

Hinc ad Austrum proiectis obvius fit *Santæ* portus ad altitudinem novem gra- Santa.  
duum Australium, juxta quem amnis exit in Oceanum; ora hæc humilis est, sine  
montibus, arenosa & scopulorum atque vadorum expers.

A *Santæ* portu ad *Ferrol* leucæ sunt quinque, commodus quidem hic est portus & Ferrol.  
20 tutus, sed neque aquationi neque lignationi opportunus.

Ab hoc ad *Cazma* portum, leucæ sunt sex; juxta hunc exit fluvius, è quo limpi- Cazma.  
dissimilæ aquæ peti possunt, & lignorum copia cædi, magno navigantium solatio.  
*Ciega* constituit ad altitudinem decem graduum. Haec tenus pertinet ora ad Euro-au-  
strum, ut à curiosis observatum invenio.

A *Casma* ad *Guarmey* leucas numerant octo, hæc quoque fluvius egreditur in Ocea- Guar-  
num, cætera locus est ignobilior, & carbonum tantum copia notus, uti ab Oliverio mey-  
nostrate est observatum, quum mare Australe enavigaret.

A *Guarmey* ad *Barrancam* numerantur viginti leucæ, quam Oliverius ad altitudi- Barraca.  
nem undecim graduum agnoscit, & triticea messe testatur abundare. Augustinus de  
30 Zarate scribit illam distare à Lima quatuor & viginti leucas.

A *Baranca* ad *Gaura* portum sunt sex leucæ, juxta hunc jacent salinæ, quas idem Oliverius Gaura.  
duas à portu leucas, octodecim autem dirimit à Lima: Scribit autem ex Hispanorum relatione, salem hic in valle quadam reperiri, ad quam marini fluctus  
neutiquam penetrant, magnis & durissimis massis in tumulos erectum.

A *Gaura* ad *Farallones* leucas constituunt quatuor; hi scopuli objacent continenti Farallo-  
longo intervallo: nam extimus octo leucis abesse dicitur versus Africum.

Sequitur deinde *Callao* portus, de quo jam ante diximus; intermedio autem spa- c. xxiii.  
cio, sed proprius ad *Callao*, jacet *Salmerina* vorticolum vadum, novem aut decem leu-  
cis à Continenti Peruvia.

40 Ab insula *Callao* ad promontorium *Guarco* colligunt viginti leucas, huic quoque Guarco.  
objacet insula parva luporum marinorum: Ab hoc autem promontorio ad por-  
tum *Sangalla* leucas quindecim. Portus hic tutissimus est & opportunissimus, di- Sangalla.  
stans ab Æquatore quatuordecim gradus aut circiter: adjacet modica Insula de Lo-  
bos & septem octo aliæ minores, partim humiles, partim editæ, omnes autem po-  
tabilium aquarum indigæ, nec arbores neque quicquam herbidi sortitæ, phocarum  
tantum statio & littoralium volucrum.

Alia deinde modica insula occurrit, & ipsa nomen à lupis marinis sortita, qua-  
tuordecim gradibus & viginti scrupulis ab Æquatore: à qua ad *la Nasca* promonto- la Nasca.  
rium, / quatuordecim gradibus & quinque supra quadraginta scrupulis ab Æquato-  
re) duodecim numerantur leucæ: Hic statio quidem navibus bene fida habetur, sed  
difficilis ad littus appulsus, oceano hic ingentes fluctus ad terram agente, qui scaphas  
evertunt nonnunquam.

Sequitur deinceps promontorium *S. Nicolai*, quindecim gradibus & viginti scru- S. Nico-  
pulis ab Æquatore versus Austrum; à quo ad *Hacari* portum, duodecim constituunt las.  
leucas, sedecim gradibus ab Æquatore. Hic qui hoc mare navigant annonæ gra- Hacari.  
tia solent appellere, quam vicina vallis liberalissimè subministrat.

Oconna. Hinc proiectos excipit fluvius *Oconna* & modico intervallo *Camana* amnis, & denique *Quilca*; quemadmodum *Petrus de Cieça* hanc oram descripsit. *Oliverius* autem à *Noort*, Belga, *Nascæ* adjungit tutissimum portum *S. Nicolai*, ubi præstantissima totius Peruviæ vina in naves accipientur.

S.Lau-  
rens. *Quilca* autem vallis projicit in altum Promontorium *S. Laurentii*, pone quod flu-  
vius, angusto ore & inter editos montes veluti concluso, portum pandit *Arequipa*  
(de qua mox) septendecim gradibus ab Æquatore versus Austrum.

Chuli. A *Quilca* ad *Chuli* insulam, per exiguo quidem, sed satis alto freto à Continenti divisam, duodecim numerantur leucæ; & ab hac ad flumen *Tambopallam* (quod ho-  
die ab Hispanis appellatur *Nombre de Dios*) duæ: Hic terminatur ora Conventus<sup>10</sup>  
Juridici *Limani*, & incipit *Charcensis*.

Ab Anglis atque Belgis nostris, aliquoties observatum, hanc Peruviæ oram, inde à decimo tertio gradu & dimidio ab Æquatore versus Austrum, ad decimum octavum usque, sensim ad Eurum se subducere, licet *Cieça* aliisque Hispani longe aliter prodiderint, quod non leves errores hactenus peperit in Tabulis Hydro-  
graphicis.

## DESCRIPTIO

